



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita Venerabilis Arnesti, (vulgò Ernesti) Primi Archiepiscopi Pragensis**

**Balbín, Bohuslav**

**Pragæ, 1664**

De Vita Venerabilis Arnesti Primi Archiepiscopi Pragensis. Liber III. Qui  
Reliquam ejus sanctissimam Vitam usq[ue] ad obitum continet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42763**



De Vita Venerabilis ARNESTI  
Primi Archiepiscopi Pragensis.

LIBER III.

Qui  
*Reliquam ejus sanctissimam Vitam usq;  
ad obitum continet.*

\*\*  
\*

Venerabilis Arnesti in Pragensem Ec-  
clesiam suam amor, & de ea ornanda fælices hoc  
tempore ejus curæ, triginta octo insignibus  
Meritis approbatæ.

CAPUT I.

Arnestus Ec-  
clesiæ suæ  
ornandæ stu-  
diosissimus.



*M*ultos *Sanctæ Pragensis Ecclesiæ*  
Illustres Virtutibus Antistites habuit, qui lau-  
dabiliter populo præfuere, ac cum miraculis,  
magno suæ sanctitatis honore relicto, decessê-  
re; sed neminem unum ex omnibus invenias,  
cui (quod fidenter assero) plus ipsa debeat, &  
à quo plura, seu opum & potentia, seu doctrinæ ac Virtutis, seu  
hono-

honorum & gloriæ firmamenta & præsidia acceperit, quàm ab *Arnesto*. Id perpetuâ narratione probare longum foret. agam per indicem. In primis *Arnesti diligentia* (verba sunt Codicum scriptorum) *Ecclesia Pragensis, in Metropolitanam est erecta, & à Moguntina exempta, suis auspicijs Domino militare, suoque ab Archiepiscopo cœpit gubernari.* II. perfecit *Arnestus*, ut *Episcopatus Olomucensis Pragensem respiceret.* III. ut novus etiam conderetur *Litomislensis.* *Arnesto Patre*, ait *vetus Vitæ Scriptor*, *Ecclesia Pragensis mater effecta, duas sibi filiales Ecclesias est ennixata:* qua de re *Bulla Clementis* est in manibus. Meminerat *Arnestus* in *Ecclesia Pragensi* educatum se, *Canonicum & Decanum* ipsis XVII. annis *Ecclesiæ præfuisse*, eamque sibi *Sponsam datam*, cujus amorem permutare æquum non videretur. IV. neque has duas tantum, sed etiam *Misnensem Ecclesiam* Pragensi subdidit, ut in *Misnicis* suis fatetur *Fabricius*. V. *Coronandorum Bohemiæ Regum* jus, Archiepiscopis Pragensibus in perpetuum stabilivit, impetratis à Pontifice, itémque à *Carolo Cæsare* litteris, quas recitat *Hagecius*. VI. *Primus Princeps* creatur à Cæsare, eamque hereditatem gloriæ successoribus reliquit. VII. *Legati nati* Tirulum, sibi ac posteris acquisivit, ut postea luculenter probabo. VIII. *Cancellarij*, in *Carolina Universitate*, dignitatem primus ipse gessit, & ad posterum transmisit. IX. Sub eo *Basilica S. VITI Pragensis*, post incendia & ruinas, extrui cœpit, primumque is lapidem posuit, deinde tantum contulit, ut in fornicibus *Ecclesiæ*, post ejus mortem, *unius Arnesti Insignia*, apponi jussit Imperator. X. *Sacrarium*, seu *Sacristiam S. VITI*, ipse de suo ædificavit, totumque illud ferè *Ecclesiæ* latus erexit. XI. *Omnes libros Pragensis Sacristiæ* (verba sunt *manuscriptorum*) *nimiâ vetustate consumptos, ligari & meliorari fecit.* Item *Chorales libros*, videlicet *Gradualia & Antiphonaria, utraq; duplicata, in multis Voluminibus, pulchriora, quàm unquam in Ecclesia visa fuerint, pro magnis pecunijs personalibus* (id est de *Patrimonio suo, & ex ijs, quæ sibi ipse subtraxerat*) scribi fecit, alijsq; pro studio *Sacra Scriptura* condonavit. Nota, tantam eo tempore *librorum caritatem* fuisse, ut *libri inter maximas divitias haberentur.*

M. S. Vita.  
M. S. Chroni-  
con Glacense.

Bulla Clementi-  
si VI. A. 1343  
prid. Calend.  
Maij.

Hagek A. 1343

Fabric. in Mi-  
snicis 2. & ex eo  
Lupac. in Calu-  
hist. 4. Janua-

Hagek A. 1343

Hagek A. 1347

Vide l. 2. C. 6.

Lib. 3. C. 12.

Hagek A. 1348

Suprà l. 2. C. 10

Suprà l. 1.  
C. 13.

M. S. Vita.

Vide Notam.

Paproc. in Ar-  
nesto. M. S.  
Vita.  
Ibid.  
Ibid.  
Ibid.  
Hagek A. 1364  
M. S. Vita.  
Hagek, l. cit.  
M. S. Vita.  
Ibid.  
Ibid.  
Paproc. in Ar-  
nesto.  
Hagek, l. cit.  
M. S. Vita.  
Paproc. l. cit.  
Hagek, l. cit.  
Pont. in Ar-  
nesto.

berentur. In eam rem scribas duos alebat *Arneſtus*. XII. Eccleſiam *Pragenſem* (ait vetuſtus Scriptor) plurimis ornatibus pretioſiſſimis decoravit. XIII. Dedit etiam (pergit idem) Eccleſia ſua *Pragenſi* in mortis articulo, pro ſtruetura ipſius, de proprio Patrimonio mille marcas (grandis eo tempore pecuniæ vis.) XIV. Item unam *Capellam*, proximam ei qua eſt in fronte *Chori novi*, à fundamentis uſq; ad perfectionem ſuis ſumptibus exſtrui, & fenestris vitreis (quod id temporis pretioſum) exornari procuravit, quam ipſemet etiam conſecravit. XV. Pergit Codex: Item dedit ducentas *Marcas* pro pauperibus *Altariſtis Pragenſis Eccleſie*, ut una cum *Vicarijs Dominicorum Canonorum Panum* perceptione gauderent, pro quibus emi ſunt redditus perpetui in talibus villis. XVI. In eadem *Pragenſi Eccleſia*, Lectorem in *Theologia* ſuis pecunijs inſtituit, pro quo emit certos *Reditus in via Zlatnik* prope *Pragam*, ut *Canonici*, & alij *Eccleſie Clerici*, qui pecunias *Magiſtris* dare non poſſent (ut notat *Hagecius*) pabulo ſacrarum ſcripturarum non carerent. XVII. Comparavit etiam pro pauperibus *Choralibus Clericis* duodecim ſexagenis perpetuas reddituum in *Villa*, ut bis in anno habeant tunicas, & liberius ac ſedulius in *Choro*, nocturnis & diurnis *Choris*, vaſent in divino officio. XVIII. Hic (videlicet *Arneſtus*) reedificavit omnia caſtra ſui *Archiepiſcopatus*, qua erant ex nimia vetuſtate valde collapsa. XIX. Oppida *Eccleſie ſua* (habet idem coævus Scriptor) muris munitis, piſcinas multas, magnis impenſis, de novo exſtruxit. XX. Emit *Archiepiſcopatu* *Rzezcicium* & *Cheynovium* & *Kyge*, nobiliſſimas & opulentas ditiones. XXI. *Mediam Baroniam*, præterea in *Röſenthal* datis plurimis redditibus ad *Vitas certarum Perſonarum*, *Archiepiſcopi menſa* acquiſivit, idque propriâ & patrimoniali, ut ait *Hagecius*; pecuniâ. Hæc manuſcriptum. De quibus emtionibus & ædificationibus, dicam capite ſequenti: XXII. *Pontanus* *Metropolitane Eccleſie Decanus* his addit: *Erneſti providentiâ* & curâ, omnia bona *Eccleſiaſtica* in *Acta* redacta ſunt, *Choriſta* & *Manſionarij* fundati; ab eodem ſtatuta *Eccleſie Metropolitanæ*, ſupra que quiſq; *Canonorum*, priuſquam ad *ſtallum*, & *Capitulum* admittitur, ſanctè jurare debet, condita & accommodata, tandem à *Carolo*

16 IV. Rom: Imperat: Bohemia Rege, aureâ bullâ confirmata. Multa & magna paucis Pontanus expressit. Petéste his tantis in Ecclesiam Pragensem meritis & ingenioso amori aliquid adjungi? XXIII. *Arnestus* Carolo Casari, Ecclesie Pragenfis amorem insillavit, ut saepe *Cesar* ultro de ejus gloria cum *Arnesto* loqueretur, nihilque magis, quàm *Ecclesiam Pragensem*, commendaret. Ejus amoris clarissima documenta, ex ipsis *Caroli* litteris adferentur in Notis. XXIV. Agente *Arnesto*, tot ac tantis ditionibus Ecclesiam Pragensem *Carolus* Imp. auxit, ut octoginta aureorum millia (alii centum scribunt) quotannis unus Archiepiscopus perciperet. XXV. Omnes Clericorum poenas, in Ecclesie Pragenfis ædificationem convertit *Arnestus*, nihil sibi ex ea pecunia relinquens. XXVI. Anno 1361. cum ob mortem illatam Sacerdoti, in senatum Pragensem animadverteret, præter pecuniam grandem in pauperes, in poenæ partem duas lampades, ante S. VITI sacrum Corpus curare & suspendere jussit, censûsque perpetuos ad ignem alendum Pragenfis attribuire. Quæ sequuntur, fortasse majora sunt: XXVII. Saccis, pretiosissimisque Cimelijs Ecclesiam suam auxit: in primis mappâ, quâ in suprema divinissimâque Cœna Christus Dominus est usus, à *Carolo* impetratâ. XXVIII. Corpus S. VITI eodem agente donatum. Litteræ *Caroli* Pisis datæ. Anno 1355. 11. Kal. Februar. Venerabili *Arnesto*, &c. XXIX. Ex Evangelio S. *Marci* autographo; seu manu ipsius S. Evangelistæ scriptos duos quaterniones ultimos, quibus acerbissima Christi Passio describitur, obtinet pro Ecclesia Pragenfi. Litteræ *Caroli* Casaris Feltrio datæ: Venerabili *Arnesto* Archiepiscopo Pragenfi, Principi, &c. gratiam regiam & omne bonum, &c. XXX. Rursus impetrat à *Carolo* partem tertiam de ligno *Dominica* Crucis, & tertiam partem Pepli gloriosissimæ *MARIE* Virginis. Partem baculi B. *Petri* Apostolorum Principis, in latitudine trium digitorum, &c. Litteræ *Caroli* desuper, Venerabili *Arnesto* Archiepiscopo, Principi &c. A. 1354. 10. Cal. April. XXXI. Impetrat Cingulum B. *MARIE*, & alias pretiosissimas Reliquias Ecclesie Pragenfi. Litteræ *Caroli* Casaris Moguntia A. 1354. 3. Non. Januar. Vide ea, quæ adte.

Taprocius in  
*Arnesto*.

Zidtk in M. B.  
 ad Regem Ge-  
 org. A. 1478.

Statuta Ar-  
 resti.

Historia Sed-  
 lucens.  
 A. 1361.

M. S. diversa  
 & *Caroli* Cas.  
 littera.

Pontanus in  
Boh. Pis.  
Id. S. litterarū  
& Privilegior.  
Eccl. Prag.

Paproc. in Fa-  
milia de Land-  
stein fol. 51  
Pont. l. 3.

Pontanus l. 3.  
littera Aposto-  
lica.

Pontanus ibid.  
littera Aposto-  
lica.

Pontanus ibid.  
littera Aposto-  
lica.

adferentur in *Notis*. XXXII. Impetrat Clericis Pragensibus om-  
nium Operum serviliam immunitatem, nè ab ullo possint com-  
pelli, &c. 1348. 3. Idus Septembr. XXXIII. Impetrat à *Carolo*  
*Bullam Auream* primam A. 1352. 11. Cal. Jannarij datam, quā  
Bona omnia, Jura, Feuda, libertates, consuetudines *Ecclēsia Pra-*  
*gensis*, à Regibus & Ducibus unquam concessæ, in apicibus omni-  
bus comprobantur, maximis pœnis in eos, qui *Ecclēsiā Pra-*  
*sem* vexassent, constitutis. XXXIV. Procurat etiam *Confirmatio-*  
*nem* amplissimam omnium privilegiorum, quæ olim ab *Ottogaro*  
*Rege*, *Ecclēsiæ Pragensis* concessa fuerunt. Ex ijs ipsis litteris soli-  
citus *Arnesti* cernitur: sanè, ait Imperator, *VEN. Arnesti Pra-*  
*gensis Archiepiscopi, Principis & devoti nostri dilecti, nuper Sere-*  
*nitati nostræ oblata supplicatio continebat litteras quasdam clare me-*  
*moria Illustris Ottogari, &c.* A. 1352. 4. Idus Maij. XXXV.  
Providens in futurum *Arnestus* ac timens, nè ob multitudinem  
Sacerdotiorum, & Titulorum (quæ sæpe cum aliorum, atque in  
primis *Ecclēsiæ* detrimento, uni homini gratioso conferri solent)  
*Ecclēsia Pragensis* aliquando detrimento pateretur, ac divinus  
inde cultus minueretur, *litteras Apostolicas ab Urbano*, sui amantis-  
simo Pontifice, impetravit, quibus severissimè prohibetur, nè quis  
in *Civitate Pragensi* duas, ut vocant, *Præbendas*, aut *Canonicatus*  
duos, simul tenere possit, & si quis alterum admittat, post unum  
Mensem nisi renunciaret, ipso jure sit utroque privatus. Datum A-  
venione, Pontificatûs Anno tertio. XXXVI. ab eodem Pontifice  
*Arnestus* pro successoribus Privilegium accepit (imò mandatum,  
ut ex litteris Avenione 3. Kal. Junij Anno Pontificatûs III. appa-  
ret) ut per *Civitatem*, & *Dioecesin* suam incedens, vivificæ Cru-  
cis vexillum ante se jubeat bajulari. XXXVII. Item dum Ponti-  
ficali ritu celebrat, ut duo Canonici & Servientes, Mitris albis  
seu Infulis uti possint. In eam rem est *Bullâ* duplex. Sed hæc Pri-  
vilégijs ultimis *Arnesto* uti non licuit, nam dum hæc litteras  
Pontifex mitteret 30. Maij Avenione, *Arnestus* 30. Junij obiit,  
eodem anno *Raudnicj*, evocatus ad Cœlum, & ad alios, eosque  
æternos, honores. Porro illud *Privilegium de Canonicis* Mitris  
Archi-

Archiepiscopali fervientibus, *Bonifacius* Pontificatus sui Anno primo, Idibus Maij, ad omnes & singulos Ecclesiæ Pragensis Canonicos extendit, ut possint mitris Pontificalibus *gemmaris*, & *auriphrysis*, ut loquitur, uti. XXXVIII. Probabile est (nam id ut certum asserere non audeo) sub *Arnesto*, cum fortè Archiepiscopalis Pragæ Sedes erigeretur, Ecclesiæ Pragensi titulum Sanctæ impetratum. Legi plurimas Ducum ac Regum de Pragensi Ecclesia litteras, nemo, quod sciam, ante *Arnestum* Sanctam dixit, ac sub *Arnesto*, & postea semper *Carolus IV. Imperator*, aliique Reges omnes, *Sanctam* Pragensem Ecclesiam appellarunt.

*Hæc fuere Præsulis Optimi* in Ecclesiam suam merita, quam profus deamabat: Certè qui diligentius res tantas, tamque varias, quas ego brevi indiculo sum complexus, perpenderit, facilè animadvertet (quod antè dixi) majora propè ab uno *Arnesto*, quàm ab omnibus, qui eum præcesserunt, beneficia *Sanctam Ecclesiam Pragensem* accepisse. Adde, quòd eorum nonnulla, quæ attuli; conferta, ut ita dicam, ex pluribus meritis componuntur, ut si *Arnestus* in Archiepiscopali munere aliud nihil, quàm ista, gessisset, abundè dignitati & muneri suo fecisse satis credi possit, atque inter optimos, & sanctissimos Ecclesiæ Pragensis Præsules (quorum memoria in benedictione sæculorum est) reponi mereatur. Plura, si Archiva quædam patuissent, de *Arnesto* potuissent adferri.

## Notæ in Caput I.

**M**ultos Illustres Antistites Pragensis Ec-  
clesia, *Id certissimo certius est, ut ille dixit; con-*  
*solantur Temporum Annales. Sanctimoniâ vitæ præcelluere: S. Adal-*  
*bertus Ungarorum, & Polonorum Apostolus, Virgo, Martyr, & Do-*  
*ctor. Deodatus, qui moriens omnium facultatum suarum pauperes*  
*scripsit hæredes. Severus, cujus velut S. Confessoris vetus Martyro-*  
*logium.*

Sancti Bohemice Pragenses.

Pontanus in Episcopo.

F f,

logium.

Vestigium Bo-  
hemis Tia  
R. P. Alberti  
Chanovicky  
S. I.

Dithmari I.  
Episcopi  
Pragensis ad  
humilitate  
Christiana  
defensio.

Cosmas lib. 1.  
hist. Boh. A.  
2. 99.

logium Ecclesie Pragensis meminit his ipsis verbis: 3. Cal. Julij, Or-  
dinatio S. Severi, Episcopi VI. Pragensis Ecclesie. Iso, qui quotidie  
quadraginta pauperes pascibat, & sexto quovis die visitabat. An-  
dreas, cujus mortui caput publica venerationi expositum fuit, ut nar-  
rat Hagecius. Nicolaus à Pontano mirifice commendatur. Joannes  
III. assiduus in precibus. Tobias, qui Ecclesiam Pragensem mul-  
tùm amavit, & ditiones Episcopales Templis exadificatis ornavit.  
Joannes IV. innocentissimus. Arnestus, cujus vitam scribimus. Jo-  
annes V. Cardinalis, vir Sanctimonie famamagnus, & Divæ Virgi-  
ni, qua ei Raudnicij apparuerat, totis sensibus animoq, deditus. Zby-  
gnaus Berka laudatissimus Prasul, patrum atate fuit. Joannes VI.  
Lohelius cognomento, ex Ordine Canonico Premonstratensium, cujus  
etiam miracula apud eos RR. PP. in Monasterio montis Sion de-  
picta videmus. Observatum est omnes, qui Joannis nomen habuerunt,  
Prasules Pragenses, magnam sanctitate floruisse. Vno verbo neminem  
ex Episcopis & Archiepiscopis Pragensibus malam morte obiisse scimus.  
Duo, Albicus Moravus, & Conradus Westphalus, in numerum  
non veniunt, pestes publica, quia Archiepiscopatum & penè Religionem  
ob avaritiam vendiderunt, ideoq, Archiepiscopatu se ipsos privarunt.  
Non possum hoc loco præterire Dithmarum I. Episcopum Pragensem,  
ad cujus honorem tuendum impellit me nuperi cujusdam Scriptoris negli-  
gentia, qui à Scriptore vetusto Vitæ S. Adalberti, cum pluribus alijs  
deceptus, scripsit Dithmarum ad eterna supplicia deportatum male  
obiisse, in summa rerum suarum desperatione; cujus morti cum inter-  
fuisset S. Adalbertus, & pereuntem audisset, mirè conterritus fuerit,  
& ad meliorem vitam incitatus. Quanta hec in innocentissimum,  
religiosissimumq, Dithmarum injuria! nihil aliud desperatio illa fuit,  
quam plurimis Sanctorum instatus timor, dolentium ex humilitate,  
se officio suo non satis religiosè functos, ad tribunal DEI judicandos  
properare, &c. detestantium aulicam vitam, &c. quod hic Dith-  
maro contigit; at isti incauti clamant: desperavit, quid adhuc e-  
gemus testibus? Nihil ejusmodi de eo Cosmas, proximus eorum tem-  
porum, qui monachum fuisse Dithmarum, & talentum sibi credi-  
tum, Christo centuplicatum reportavisse, scribit. Laudavit eun-  
dem



dem Dubravius, & Pius II. in hist. Boh. C. 16. hisce verbis: Dithmarus natione Saxo, opinione Sanctitatis insignis. Hagek. A. 969. Obiit Dithmarus, omnium virtutū exemplar, in Ecclesia Pragensi sepultus, & multis populi lacrymis defletus. Pontanus in Episcopis: Dithmarus Aurora Virtutum, lucifer Sacerdotum (videtur hac ex vetusto aliquo Codice Pontanus recitare) antesignanus sequentium Episcoporum, præclarâ vitæ morumque innocentiam cursum, absolvit. Sed quid ad S. Adalberti vitam respondebimus? ajo necessario, aut mendum subesse, aut benignâ interpretatione locum adjuvandum. Divina enim judicia (ut clarissime ex verbis ibi relatis patet) reputabat, cum animo moriens Dithmarus, & negligentiam vitæ suæ, more Sanctorum (ut postea fecit Arnestus) deflebat. Hæc in defensionem Optimi Præsulis, quem, si quis post tot Scriptorum testimonia damnare audeat, facit accusator, quod DEVS iudex non fecit.

Dubrav. l. 6.  
hist. Bohem.

**Libri inter maximas divitias, &c.** Causa est in promptu: quod Typum, & exprimendarum litterarum artem nondum Gutenbergenses Fratres invenerant. Quam cari libri antè fuerint, argumento sit vel unus Platonis Græcus liber, quem mille aureis Bohusslaum de Lobkovicz, altero abhinc sæculo, emisse ex ejus Epistolis, & Vitâ editâ, constat. De pretio librorum apud Veteres, Jonstonus egit in Constantia Naturæ. Propos. 5. Art. 3. membro. 1.

Libri in Antiquitate, pretiosi

**Lectorem in Theologia, &c.** Ex Cœnobio S. Clementis (quod tum RR. Patres Ordinis Predicatorum tenebant) Theologus ille petebatur, usq; attributa est Villa Zlatnik.

**Ejus amoris clarissima documenta, &c.** Maximum (negare non possum) percepi solatium, cum Caroli IV. Cesaris litteras legerem, ita omni parte pietas & incredibilis ac tenor in Ecclesiam Pragensem amor se prodit. Referam aliqua, ut meum gaudium gaudeant & lectores. In Privilegio legandi Clericis Pragensibus concessò A. 1362. Inter arduas, inquit, sollicitudinum curas, quibus pro subditorum nostrorum pietate spiritus noster

Caroli IV. summa tenerritudo amoris, quoties de Pragensi Ecclesia scribebat, aut loquebatur.

hinc inde distrahitur, ad venerandam & dilectissimam in Christo Genitricem Nostram Pragensem Ecclesiam, in qua regenerationis sacrae salutifera suscepimus Sacramenta, pro reverentia & amore Inclty Martyris SS. Wenceslai, &c. aciem considerationis nostrae dirigimus, &c. *In Privilegio super libertate Clericorum.* Etsi Regiae dignitatis circumspecta benignitas omnium Ecclesiarum saluti teneatur intendere, praecipue tamen ad ea, quae Metropolitanæ Sanctæ Pragensis Ecclesiae commodum, & honorem prospiciunt, quadam singulariter praerogativa solertia meditatur, tum quia Natalis Patriæ solum pia dulcescit in mente, tum quia Patrimonialis Regum dilectio nos ad favorabilem prosecutionem dictæ Matricis Ecclesiae quotidianis suggestionibus non desinit animare. *Alibi vocat:* generosam illam plantagine, Matrem nostram DEO dignam, Sanctam Pragæ Ecclesiam. *In litteris de Cingulo S. MARIE.* Excitat cor nostrum illius intimi amoris integritas, quo circa Pragensem Ecclesiam, prædictam almam Matrem nostram, in qua salutiferæ regenerationis sumus lavacro delibuti, & circa gloriosos Martyres Vitum, Wenceslaum, Adalbertum, Quinque Fratres, nec non Procopium & B. Ludmillam, Patronos nostros ardentem afficimur, eandem Ecclesiam jugi semper honore & reverentiâ devoto animo veneremur, & pio desiderio prosequamur, & de ejus exaltatione multivarie sollicitudinis studio, quantum caelitus concessum fuerit, intendamus, &c. *Pulcherrima sunt, qua in litteris de ligno Domini scribit* *Imperator inter alia:* debita sollicitudo nos provocat, ut noctes plerumque ducamus insomnes, ut subditi nostri, sub regimine dignitatis regiae, queant vivere quietè, &c. Sanè cum, sicuti novit ille qui nihil ignorat, cordi nobis sit honor & decus Sanctæ Pragensis Ecclesiae, cujus zelus comedit viscera nostræ mentis, quæ nos lavacro lavit baptismatis, in sinu quoque regeneravit, refovit, & ut mater in fide orthodoxæ S. Apostolicæ & Catholicæ Ecclesiae educavit, & docuit, &c. *In alijs litteris idem de vigilijs suis repetit;* dum etiam pro humana conditione oculis corporis Nostrî sopor illabatur, vigilat cor nostrum assidue in his, per quæ Sta-

In litteris  
super Corpus  
S. Viti Pa-  
pæ, & non  
Senis reper-  
iunt.

tus magnificus, exaltatiōque Venerandæ Matris nostræ, Sanctæ Pragenſis Eccleſiæ producatur, &c. O pectus pi Imperatoris ex adamantibus compositum! ô virum ad gloriam & salutem, imò & desiderium ſubditorum ſibi populorum, pro quorum quiete nocte vigilabat, genitum!

**Emit Archiepiscopatus Rzecziū.** De Cheynow & Kyge dubium eſſe non poteſt ab Arneſto emta eſſe; ſed de Rzecicz dubium aliquod oboritur: eſi diſertis verbis aſſerat Hagoek A. 1264. tamē A. 1296. ait Rzecziū ad Episcopos pertinuiſſe, niſi forſitan ab Arneſto ſit redemptum. Raudnicium, Teina utraq; Muldavia & Horſſoviēſis, item Rokycanum, Sſtiepanow, Krziwſaudow, Heracz & Wyſkytna, &c. pridem inter Episcopi ditio- nes numerabantur. Przibramum acceſſiſſe Archiepiscopatus ſub Arneſto ſuſpicor. Quod poſtremum timide proſuntio, quia ſufficienti authoritate deſtituitur, nec Archiva Pragenſia videre datum eſt.

**Amori ingenioſo, &c.** Nihil ingenioſius amore. Plato in ſympoſio ſuſcit Apollinem ab Amore magiſtro doceri. Multa verò docuit Amor: Poēſim, Muſicam, Sagittas, Medicinam, Divinationem, Picturam, &c. Reddit hujus rei veriſſimas cauſſas Plutarch. in ſympoſ. L. 1. queſt. 5.

**Mappa Chriſti Domini &c.** Monſtratur ea populo in Eccleſia Pragenſi, ipſo Sanctiſſimo Jovis die, ut ipſe me vidiffē & osculatum fuiſſe aliquando, lator.

**Evangelium S. Marci Autographum, &c.** De autogra- pho S. Marci Evangelizæ. Fr. Angelus Rocha Cameræ ad Clem. VIII. in Notis ad Tom. 1. Divi Gregorij ſcripſit. Spectatum eſt etiam illud à me. Eſt in cortice tenuiſſimo papyri arboris, vetuſtiſſimis litteris Romanis (quales illa apud F. Angelum Rocham in Tabulis Gregorianis, & in Anfulis Antiquis Romanorum Pontificum) Totum illud Evangelium latinis litteris inveniffē ſe Aquileiæ (ait Carolus Imp.) in ſeptem quaternis propria D. Marci manu conſcriptum; de quibus duos quaternos ultimos devotis precibus nobis obtinuimus elargiri; qui quomodo Aquileiam perverint, in ultimo folio dictis duobus quaternis appoſito, regiā

Martyrologiū  
Eccles. Prag.  
M. S. 7. Cal.  
Maij.

manu nostrâ plenè scripsimus, ad rei memoriam sempiternam. Hæc Carolus in litteris, quibus autographum Ecclesie Pragensi donavit 1354. Feltri. Legi ipse hæc autographa & testimonia Nicolai Aquileiensis Patriarchæ, & Canoniorum; ac Cæsaris ipsius Caroli manum regiam sum veneratus. Ex eo autographo S. Marci in Ecclesia Pragensi Metropolitana die Sancto Pasche, item Ascensionis Domini die, Evangelium canebat. Diasonus, ut vetus Manuscriptum Martyrologium Ecclesie Pragensis significat. Sed dubitant ignari de hujus rei veritate? dubitent ignorantes; docti certè non dubitabunt. Satis certum est, S. Marcum Alexandria Patriarcham, Evangelium suum latinè primùm scripsisse, quod ipsemet postea in Græcum convertit; id varijs antiquorum testimonijs, tum ratione, duo Ecclesie atate Majorum lumina, Bellarminus & Baronius Cardinales, demonstrarunt. L. 2. de Verbo DEI. C. 7. & Baron. in Annalibus Ecclesiast. An. Christi 45. n. 38. & seqq. Latinus Archetypus, multorum annorum spatio asservatus Aquileia (cujus pars hic noster est) Venetias tandem translatus, ibidem asservatur, geminâq; est hujus & illius scriptura. Baron. l. cit. n. 41. Gaultier. in Chronogr. pag. 2.

Præcipuæ Ædificationes Ar-  
nesti ab Anno 1343. ad Annum usq;  
1360. commemorantur.

## CAPUT II.

In Epitome hist.

Principes æ-  
dificationi-  
bus oblectantur.

**M**agnificè de Traiano Cæsare *Entropius* locutus, eunt (ob publicorum operum multitudinem) *Orbem terrarum* adificasse dixit. Et sanè plerosque optimos Principes, & ad imperandam naturâ, aut institutione factos, ædificatores fuisse, & ædificationibus oblectatos, facile, si id ageretur,

retur, ex omnibus Historijs probari possit. Meliores, sapientiores, & pacis amantiore in *Indea* Reges, quid aliud agebant? *Moses* (quod unū in solitudine, & vago tum populo potuit) *Tabernaculum* descripsit, & struxit. Jam ex profanis Regibus, si petenda foret autoritas, nihil esse testatius possit: legantur, quæ de *Cæsaris Iulij Basiliæ* *Vitruvius*, de *Alexandri Urbibus* *Plutarchus* & *Arrianus*, de *Carolo M.* *Eginhardus* scripserunt. *Carolus IV.* Imperator, & *Arnestus* Archiepiscopus, toti in hoc labore: Murariorum, & Architectorū (si joculari liceat) illud sæculum fuisse, posses dicere. Enumerabo rursus per Indicem, quæ *Arnesti* præfente pecuniâ surrexerunt, omnia magnificè ab ipso descripta, non ligneo aliquo opere, sed cocto laterculo ad diuturnitatem constantia, pulcherrimis deinde candidisque lapidibus, velut limbis, incincta, purpuram inversam & prætextam diceres; ita *Arnesti* opera & arces à laterculis rubebant; portæ, fenestræ, apices candebant, tecta iterum imbricibus purpuram referebant. *Domum* primū Archiepiscopalem, in minore *Praga* sitam, sic in usum aptavit *Arnestus*, tantisque divitijs instruxit, ut cum domibus *Electorum*, & Principum *Saxonicorum*, *Burgundicorum*, & aliorum, qui *Pragæ* per id tempus multis millibus habitabant, *Domus Archiepiscopalis* certaret. Eam postea *Ioannes Arnesti* successor, Præsul vitæ sanctimoniâ inclyrus, elegantissimis Imaginibus, duplicique Palatio auxit. Arsit, & flammis concidit regia hæc *Domus* A. 1419. paulò antè quàm Hæreticorum flammis Religio in *Bohemia* cum Cœnobijs omnibus conflagraret. Jam antè narravi, *Ecclesiæ S. VITI* magnam partem, & immensæ illius fabricæ structuram, item *Sacrarium Canonorum Arnesto* deberi.

Aggressus deinde Archiepiscopales ditiones *Arnestus*, *Brodam Bohemicam*, Civitatem Patrum memoriâ pulcherrimam, mœnibus omnem cinxit, vallisque & fossis, semel iterumque circum mœnia porrectis, lacunisque profundissimis, ita permunivit, ut longo post tempore, A. 1421. florentissimum *Pragensium* exercitum *Broda* fatigârît, neq; nisi fraude, & per cadavera suorum, hostibus euntibus patuerit. Merebatur hanc ab *Arnesto* gratiam egregia

*Vitruvius*, in *Architecton.* *Sutton.* in *D. Iulio.* *Plutarchus* in *Alex. M.* *Arrianus* in *expedit. Alex.* *Eginhard.* in *Vita Caroli M.*

*Maximus* aedificator *Arnestus*.

I.

*Hagek* A. 1350  
*Dubrav. hist.*  
*Bohem.* l. 22.

*Hagek* A. 1367  
*Landa* in *M. S.* A. 1419.  
1420.

II.

*Hagek* A. 1343

III.

*Stransky* in *Rep. Bojem.* C. 2. in *Broda.* M. S. *Vita.* *Hagek* A. 1364

IV.  
Hägck. l. cit.  
M. S. Vita.

egregia Civitas, ad quam proximè pagus *Chotun*, qui nascentem primus vidit *Arnestum*, tum *Arx Hostinna*, aliæq; paternæ *Arnesti* ditiones. Eadem in Civitate *Brodensi* *Nosocomium* pauperibus excitavit, certisque ac liberalibus proventibus locupletavit.

V.  
M. S. Vita.

Munivit deinde mœnibusq; cinxit Civitatem suam *Raudnicium*, & loricis prætextis præclare ad tolerandam obsidionem firmavit, ut A. 1421. *Ziskam*, Polyorctem illum Bohemiæ, & magnum expugnandarum urbium artificem, irriferit. In eo ipso loco arcem Archiepiscopalem pulcherrimè exornavit, Turrimque rotundissimam & altissimam cœpit educere, quam anno demum 1367. *Ioannes* Archiepiscopus successor absolvit.

VI.  
Hägck. A. 1367

Sed *Tinam* *Horssoviensem* inter Civitates omnes suas amasse plurimum, eamque *Arnesti* amore inclaruisse, narrat *Paprocus*. Mœnibus hanc etiam cinxit, Urbis nomen ac dignitatem & Insignia contulit, atque aliâ adjecit ornamenta; ipsæmque *Tinensibus*, ut omnibus *Mise* Civitatis Privilegijs gauderent, ut sine omni onere domos, agros, prata, &c. possiderent; ut secundum jura *Veteris Urbis Pragensis* facultates suas vendere, cui vellent, filias, viduasque nuptui dare possent, concessit. Hæc omnia privilegia A. 1406. 1534. à Regibus plurimis, ac præcipuè *Sigismundo*, ac tandem à *Rudolfo II.* propter eorum, ut Reges loquuntur, in fide *Catholica tuenda constantiam*, confirmata fuisse scio. Sed antè *Carolus IV.* ab *Arnesto* rogatus, Civibus gratiam *Telioniorum* per Bohemiam fecit. Neque de Cœlo *Tinam* amare cessavit *Arnestus*, quandoquidem illius meritis tribui potest, quòd *Tina* tam præclaros viros prioribus sæculis & nostris genuerit, communemque cum Urbe fidelissima *Pilsna* sibi gloriâ compararit: in hæreticorum Regno tribus sæculis Fidem Catholicam inconcussam servasse, quamvis à Dominis hæresi infectis regetur. Arces vetustate collabentes suas renovari, & firmari denuo jussit *Arnestus*, ostenditque Patriam his quoque præsijs, & firmamentis egere: *Cheynovij* primùm celebratissimam Arcem extruxit, quam nunc in ruderibus malè stantem aspiciamus. Aliam in *Rzecicz* condidit, aliam in *Zercicz*, aliam in *Kyge*, pluresque alias. In *Liban*

VII.  
Hägck. A. 1360.  
Paproc. in Tina.

VEN. Arnestus Tinenses amavit.

VIII.  
Hägck. A. 1364.  
Paproc. in Arnesto.  
M. S. Vita.

IX. X. XI.  
XII. XIII.

(quod

(quod oppidum *Arneti* Majores tenuerunt, quòdque Archiepi-  
 scopatui deinde donasse creditur) *Nosocomium* ædificavit, atque,  
 ut Vita Scriptor vetustus loquitur, *muniuit necessarijs atq, compe-*  
*tentibus impendjs.* *Przibramum* deinde, argenti fossionibus nobi-  
 lem civitatem, cum à *Carolo* Cæsare primùm accepisset, videretque  
 aptum solitudini suæ locum, ubi inter sylvas & montes medios,  
 operasque diurnas ac nocturnas, minùs quæreretur, suisque stu-  
 dijs vacaret liberius, *Arce* ibidem à se descriptam, quæ paucis-  
 simos caperet, condidit, in qua (antè quàm *Glacienſe* Cœnobium  
 fundaret) latere solebat, & *Diva Virgini* quotannis mensè inte-  
 gro servire. Hinc ortum habuit falicissima illa *Statua*, quam *Di-*  
*va Virginis in S. Monte*, vocamus; nam in ea Arce ad radicem  
*Montis S.* Sacellum ad Orientem Solem *Arneſtus* erexerat, quod  
 ex ipſo arcis muro aliquantum exiens, hodièq; à Curiosis in an-  
 tiquitate observatur. In eò angustissimo Sacello super aram *lignea*  
*Beatissima Virginis* stabat Effigies; ante cujus *Simulacrum* arden-  
 tissimè precabatur, & incruentam Cœlo hostiam elevabat; men-  
 sula item erat, in qua pietate illa, primà velut cõitione ponente,  
 aureum illum de *Excellentijs Beatissima Virginis* librum lucubra-  
 bat. *Statua lignea*, de qua loquor, arce ruente in cumulum, *Ma-*  
*gnâ* Divinæ Matris & SS. Angelorum curâ, cum *Campanula*, &  
 cum *Ara lapidea*, seu *Aræ lapide*, super quo *S. Prasul* sacra facie-  
 bat, ex virulentis hæreticorum manibus erepta, in vicinum mon-  
 tem ascendit, hodièque magno populorum honoratur accursu.  
 Hujus Arcis *Przibramensis* excidium *Bartholomæus de Drahenicz*  
 Equestris Ordinis inter Bohemos Vir, in historia suorum tempo-  
 rum descripsit.

Arneſti in  
Przibra-  
mensis be-  
neſcentia.

XIV.

Hagek. l. cit.  
M. S. Vra.  
Taprocius in  
Arneſto.

Vide historiã  
S. Montis.

M. S. Barthol.  
de Drahenicz.  
apud me.

Addidit *Przibramensibus* suis *Arneſtus*, ut solebat, *Hospita-*  
*lem* Pauperum domum, Templo *S. Ioannis* adſitam, quæ, quòd  
 Pauperes Religionem synceram & veterem sequebantur, *Ziſkia-*  
 no bello arſit. Nunc lapidum infelix congeries eo loco. Tanto  
 illa *Huffitarum* rabies in res Catholicorum furore rapiebatur, ut  
 neque Catholicorum ædificia suis usibus servarent, sed velut sce-  
 lerata, & quæ sceleratos facerent, plerumque urerent flammis,

XV.

Huffitarum  
prima rabie-  
es.

sæpe cum flammæ saxa non vincerent, magno lignorum labore, & manu ruinas juvabant. *DEVS* omnia de *Chao*, imò de nihilo, dum crearet, evoluit; hi postremi nebulonum, in *Chao* & in nihilum *Bohemie* Regnum optassent redire, & velut rabidi Canes, lapides etiam Templorum mordebant. Ad *Arnestum* redeo; *Piscinas* complures magnis impensis *Arnestus* extruxit, nè quid terræ cultu vacaret, & ubi inutile frugibus solum erat, aquis mergebat; magnum eo tempore piscinarum, quibus nunc abundat *Bohemie* regio, pretium, aded ut solis & delicatis tantum divitibus, more Romano ex piscibus cibi pararentur; id quoque bonum commune, pretiosus apud *DEVM* pauperibus, diligentia sua fecit *Arnestus*.

XVI.  
Piscinæ quò-  
dam magno  
in pretio.

## Notæ in Caput II.

Imperatores  
ædificati-  
bus occupati

Zonaras. To. 3.  
Luit. l. 6. C. 2.  
Martinus in  
Atlante Sini-  
co.  
Georg. Drau-  
dius in Centon.  
ad Solin.

Domus arti-  
ficiosa.

**I**mperatores ædificationibus oblectatos. De ea re agit Guido Pancirolo libro de rebus deperditis, & Henricus Galmuth, in ejus Commentario. Vide Lipsium in libris de magnitudine Romana. De Vespasiano Imp. egerente terram in ædificationem Capitolij Podin. L. 6. de Repub. C. 3. ut sanctius, M. Constantinus extulit suis humeris 12. Cophinos ruderum in honorem SS. Apostolorum. De ejusdem solio agit Luitprandus. Meliores Imperatores Sinici ædificatores fuerunt. De Adriani muro per Britanniam ducto vide Draudium, apud eundem maximas ædificationes, præcipue Palatiorum, invenies.

**Domus Electorum Pragæ.** Describit has *Dubr.* l. 22. hist. nominatim de Saxonie Duce: Ipse verò Saxonie Dux, inquit, occupatâ juxta pontem Pragensem de consensu Caroli areâ, domum sibi à fundamentis excitavit, præter cætera vivarijs vitreis usque ad supremam contignationem subductis, ut pisces in illis natantes commodius à prætereuntibus conspici possent, adornatam, &c. Nonnulli Ducum, &c.

Tina



**Tina præclaros Viros genuerit.** *In ijs numero-  
rantur Wenceslaus Sturmius a S. P. Ignatio in Societatem IESU  
admissus, primus Provincie Bohemia Professor, scriptis in Patria con-  
tra hereticos editis clarissimus. Ex eadem Vrbe fuit R. P. Vitus  
Pachta S. J. magna olim apud Moravos Proceres autoritatis vir;  
apud Waldsteinium item Fridlandia Ducem omnia poterat, eiq; pri-  
mam suam felicitatem Dux gratissimus solebat adscribere. Tinam  
quoq; Patriam habuit Simon Brensius Archiepiscopus Trapezuntinus  
& suffraganeus Pragensis, vir autoritate & fide in Cæsarem Ferdi-  
nandum II. spectatissimus. Indidem orti fuere duo Flaxij, alter Me-  
tropolitana Ecclesie Decanus; alter Societatis nostre Sacerdos, in con-  
vertendis ad Fidem Catholicam Pickarditis felicissimo labore versa-  
tus, cuius etiam in manibus, venerabilis hostia loco, caro est visa, dum  
eam dubitanti, aut potius hesitanti Catechumena porrigeret, ut narra-  
vit R. P. Chanowsky in libro de Bohemia nuper vulgato, Plures  
Tineses viros egregios adducere possem, sic unus pro omnibus, qui in  
Aula Cæsaris vivit, vir prudentia, nomine litterarum, & lingua-  
rum peritiâ clarissimus, cui Tina solum natale fuit.*

Tincensium  
gloria.  
Ribad. in Cæs.  
talogo Scriptor.  
S. I.

In vestigio Re-  
himsa Pia.

M. S. Viti.  
M. S. Glacense.  
A. 1304.

A. 1304.

Silvæ & Ar-  
ces aptæ Pal-  
ladi.

**Arces vetustate collabentes renovari.** *Addi-  
tur in Manuscriptis Arx ab Arnesto condita Trochosomenis, aliud  
M. S. vocat Trohosomenis; qua illa sit, nescio, nullam hoc nomine  
licuit invenire. Hagek enumerans Arces ab eò conditas, hanc omi-  
sit. Forsitan est Rohozecensis, vel ut nunc vocant, Rohoficensis  
latronum postea sub Wenceslao Cæsare receptaculum. Kyge Pagus  
unde appellatus sit, habes apud Hagek. Probabile videtur eum  
pagum Pragensi Ecclesie ab Arnesto donatum. Accepit enim has di-  
visiones hereditate Arnestus ad Auwal montem natus, ut antè narra-  
vi.*

**Studijs vacare liberiùs.** *In silvis & arcibus ab ho-  
minè consuetudine remotis optimè lucubrationes procedere suo exem-  
plo docet junior Plin. L. 1. totâ Epistolâ 6. Experieris, ait inter alia,  
non Dianam magis, quàm Minervam montibus inerrare, &c.*

Arcium in  
Patria utili-  
tates maxi-  
mæ.

Loco cit.  
Caesar l. 7. de  
bello Gallico.  
Hirrius lib. de  
bel. Alexan-  
drino.  
Appianus de  
bello Punico,  
Livius l. 3.

Arcium de-  
fensio.

In Politicis dis-  
sertat. Lib. 19.  
1090 disertat. 4.

Patriam his quoq; præsidij egere. Qui pa-  
rum in Politicis versati sunt, putant in regione suspecta, Arces per-  
mittendas non esse, ac dirui oportere. Falluntur enim verò luculenter,  
& omnium, quos unquam legerim, Polemicorum, & meliorum Politi-  
corum sententijs confutantur. Nam si de limitaneis primùm loqua-  
mur: quis tam improvidus militia Dux, qui eas existimet diruen-  
das, quæ aditum hostibus præcludunt, nobis semper patent, ad rece-  
ptum? potius, si antè non fuerint, sunt adificandæ. Caletum cum  
haberent Angli, dicebant, se Claves Gallia ad cingulum alligatas  
gestare. Univerſim de arcibus sic sensit Aristoteles l. 7. Politic. C. 11.  
Arces munitas non esse censere, simile est, ac si quis regionem  
quærat hostibus expositam, & loca montosa circumcidat, ut scili-  
cet facilius hostes impunè possint volitare. Vide plura apud eun-  
dem in hanc sententiam prorsus divina. Alterum Arcium genus in  
Patria his rationibus fere defendi potest. 1. Arces hostilè in Patriam  
ingressum debilitant, ut ait Aristoteles. 2. Parvis copijs defendun-  
tur, ut Iulius Caesar magnus belli Imperator notavit. 3. Imminentibus  
periculis ad eas confugitur, neque patria divitijs omnibus  
spoliatur. Ita Hirrius. 4. Hostis delassatur. Sic Appianus. 5. Dum  
hostes eas oppugnant, nos beneficio temporis uti possumus, sic  
Livius. Sed objicies: infidelitate Ministrorum arces traduntur,  
hostes in Patria nidificant, regio ipsa suspecta est, &c. Respondet  
Ammiratus: si Minister tuus Te prodere velit, nullum esse remedium.  
Nemo unquam dixit: Exercitum contra hostem non esse alendum;  
& tamen facilius exercitus universus ad victimam duci potest, &  
prodi ab infideli armorum Ministro, quàm simul omnes arces hosti tra-  
di. Adde, quòd si pauculas retineas arces, regionem simul retineas, ut,  
neq; si velint, omnes à fide subditi possint desciscere, facilius autem sine  
arcibus desciscunt. Hæc omnia accuratissimè probavit Scipio Am-  
miratus Politicorum Princeps, suadetq; nullis omnino munitas arces  
unquam diruendas, multòq; minus, postquam eas ab hoste tuo sanguine  
recuperaris, deserendas. Idem tacitè efficacissimèq; Machiavellum  
errasse ostendit, qui diruendas Arces esse censuerat. Sed plura alia  
Machia-

Machiavelli in Politicis errata egregij Authores demonstrant. Quid Poffewinus in Judicio de Machiavello, Lips. in Politicis. Loc. cit. Tacit. l. 13. Annal Chromerus in hist. Polen. Hist. Bohem. C. 36. Regium O- pus in Ceno- bio Aula Re- giæ dejecit hæresis. Siransky in Repub. Bojem. C. 2. §. 5. De Piscinis in Patria, earumque commodia. 171-  
 haftenus Belgium tot hostibus cinctum, quid Sabaudiam, quid Hol-  
 landiam invictam præstitit? certe nullum hostium votum majus,  
 quam omnes, in terra non sua, Arces & munitiones perire. Putat Am-  
 miratus hæc unicâ Arte Romanos Orbem terrarum occupasse, quod  
 Arces, limitibusq; munire optime sciverint, ut, quod semel adepti sunt,  
 nunquam facile dimiserint, longius semper ac longius serpentes; cùm  
 contra Septentrionales populi, munitionibus ignari, impatientes ad ob-  
 sidionem longam, & deniq; in defendendis ijs, infalices sint, quod exem-  
 pla omnium atatum, atq; etiam nostra posse comprobare.

Manu ruinas juvabant. Id apparuit in arce Nova-  
 Regis Wenceslai, quam Pragenses tanto odio diruere, ut solo dili-  
 genter equato, nullum lapidem lapidi cemento connexum reliquisse  
 dicantur, quanquam id non odio religionis, sed Regis factum. Idem  
 in Sedleczeni, aliisq; Cœnobys, idem in Aula Regiensi perpetrarunt.  
 Non enim incendio rabiem suam exsatiarunt heretici, sed (ut Tra-  
 ditio illius Monasterij habet) Pragâ advexere quasdam machinas,  
 quibus rudera ab incendio relicta deicerentur. Corruit tum illud  
 Opus, quod Cœnobiorum Miraculis in hist. Bohemie accenset Aeneas  
 Sylvius: Ambitus enim erat, qui hortum clauderat, in cujus la-  
 teribus totum Vetus, Novumque Testamentum, à Genesi usque ad  
 Apocalypsin ad verbum, in Tabulis grandibus litteris elegantè  
 descriptum legebatur, eâ perspectivæ ratione, ut litteræ quò altiùs  
 irent, paullatim crescerent, totaque à summo deorsum lectio fa-  
 cilis præberetur. Hoc decus Hussitarum rabies delevit. Ita  
 Silvius.

Piscinas complures magnis impensis Arne-  
 stus exstruxit. Ejus rei artem discere Arnestus poterat, in  
 paterna ditione Pardubicensi, in qua una quadringenta præter pro-  
 pter piscine numerantur. Non postrema est apud Bohemos œco-  
 nomia pars hæc cura Piscinarum. Scio non satis ab Exteris intelli-  
 gi, quid piscinarum nomine intelligatur; qui non viderunt, per igno-  
 rantiam lacus esse putant, ut ipse audivi. Sunt autem arca quedam

ingentes & profunda, magno operarum labore effuso solo, pleræq; latitudine tantâ, ut plures hora ad obeundum, aliquando medius etiam, dies, requiratur; minima sunt, qua mediâ horâ, aut horâ unâ possunt obiri. Hæ (ut dixi) area declives aggeribus manufactis, & plerumq; lapideâ maceriâ, castrorum more, muniuntur; inducitur aqua, non mortua, sed perpetua, & qua recens semper possit succedere, induuntur deinde Cyprinorum, seu Carpionum familia multa (juxta piscinae magnitudinem & pabuli proportionem) ex his proles suo tempore in alias piscinas transferuntur, dum ad justam magnitudinem crescant, fiântq; vendibiles. Nam piscina omnes sic aptata sunt, ut, cum Dominus jubet, aqua emittatur, & pisces relinquuntur in seco. Suavissima est piscium Bohemicorum caro, quod non aquâ lacustri & stagnante, sed vivâ & novâ semper affluente, vivunt & gignuntur. Adest quoq; in piscinis anatum, anserumq; Silvestrium (aliquando, sed rarissime cyenorum) ac taterarum avium, quæ gaudent aquis, ingens copia, letissimumq; Domino præbet aspectum, cui, velut fruges, pisces certissimi nascuntur. Scio Dominorum non paucos, quor. annis aliquot aureorum millia ex piscinis percepisse; parvâ, aut nullâ suâ potius impensâ. Ita fit, ut nulla terra pars inculta relinquatur; tellus enim inutilis & palustris, piscinis destinatur. Facundias piscium mirabilis tum Carpionum, tum Luciorum, Percarum, &c. ex quibus Lucij, cum ad piscinam neq; aditus aliunde, neq; exitus piscibus pateat, tamen semper, dum aqua è piscinis dimittitur, magnâ copiâ (majore & nondum cognito satis arcano nature) inveniri solent, non impulsu, sed spontè & sinè cura nati. Eorum optima caro semper comeditur, & semper habetur.

Hanssius  
Haugwicius  
Bava Moravus  
in Vita Ioan.  
Dubravij.

De piscinarum cura & cultu scripsit accuratè Joannes Dubravius Episcopus Olomucensis, qui Moravos piscinas adfocare docuit. Est autem memorabile, nullum omnino fluvium Bohemiam ingredi, sed omnes domi nasci fluvios, ex patris montibus, velut si viverent, salientes. Hinc ea piscium salubritas, non alteri terr. facile communis.

Hæc de piscinis allata, si quis aberrantia & abhorrentia ab Arnesti vita putat, multum fallitur: Arnestus enim ex Pauperum amore, atq; etiam magnificentia perpetuo studio, Piscinarum in Bohemia

hemia maximus author, seu propagator ab Antiquitate nominatur, quo beneficio crudelissima fami (quæ ejus tempore Bohemiam vexavit) consuluit, atq; etiam in posterum providit.

## QUATUOR COE- NOBIA AB ARNESTO CONDUNTUR.

Primum ad Montem Sacz-  
kam Cœnobium.

### CAPUT III.

**P**hilippus Alexandri Pater, cum gloriam ex novis quibusdam, & antè ignotis studijs quæreret, Urbem condidisse dicitur peregregiam, in quam omnes nequam, perditos, nulliusque frugi homines, undique maximis præmijs invitatos includit, & Poneropolin, quasi improborum urbem diceret, ex re ipsa appellavit. Ridiculum inventum, laudabile tamen, si colligi ex Orbe universo unum in coetum improbi possent, ubi, nisi seipos, neminem vexarent; nunc quia numero ferè boni vincuntur, plures Poneropoles, quàm Agathopoles per universum Orbem sparsas invenias. Meliore exemplo Plotinus Platonicus, Philosophus solis urbem in Campania condere parabat, quæ Platonis legibus (ab eo in libris de Republica latis) uteretur, sed facultatem ejus urbis condendæ nunquam à Gallieno Cæsare, infelix Philosophus, potuit impetrare. Felicissimi habendi sunt ij, qui religiosissimum hominum cætus, & quandam veluti coloniam cœlitum, &

Civitas Poneropolis,  
Plutarch lib.  
de curiosis

Baron. A. Chr.  
264. in An-  
nal. Ecclesiast.

Multitudo  
Religiosorum  
in angusta  
Bohemia,

Rem-

Paprocky in  
Cap. de Mona-  
sterijs Bohemia

Rempubicam excitant eorum hominum, quibus dignus non est mundus, quorum corpus in terris, conversatio & desiderium in caelis; hæc felicitate ab omni memoria Bohemia gaudet. Nescio an brevior Regio in Europa sit, quæ plures Ordines religiosos, quàm Bohemia quondam (ob facilem & parabilem victum, aliâq; comoda, & præcipuè incolarum beneficentiam) aluerit, & alar; soli Canonici Regulares (quos à D. Augustino institutos certissimum est) deesse videbantur, qui uno tantum Cœnobio Raudnicensi id temporis habitabant. Hos doctrinæ & virtutis gloriâ florentes viros, pridem sibi ab ipsa Gallia notos, & ab Ioanne Episcopo antecessore multum commendatos, suis opibus adjuvandos suscepit Arnestus. Fecissem sine dubio curioso in antiquitate lectori satis, si penetrare in Archiva potuissem, nunc ex tot Cœnobijs regiâ magnificentia ab Arnesto structis, quod tandem est super? Singulare prorsus mali demonis in Cœnobia, ab Arnesto condita, odium extiterit necesse est, ut nè unum quidem sit reliquum. Omnes religiosos viros tempestat illa Favoritarum involvit, sed, bellis ponentibus, ad sua plerique redière, soli Canonici, de quibus loquimur, ex decem Cœnobijs pulcherrimis vix recepèrunt duo. Cartoviense ægre defensum est; Trebonense R. P. Adami Krawarsky è S. J. Viri Apostolici, ac potissimum R. P. Wolfgangi Sylvami, Cromloviensis Collegij S. Jesu Rectoris operâ tandem recuperârunt; alia omnia sic permixta sunt, ut neque recipi posse videantur. Hujus tantæ in Canonicos S. Augustini à Ziska sævitia, aliæ quoque causæ adferuntur, quas commemorare operæ pretium non est, de Saczansi D. Virginis Monasterio hæc pauca:

Saczense Cœ-  
nobium Ca-  
nonic. Reg.  
S. Augustini.

Est Mons, quinque Pragâ miliaribus Bohemicis, Saczka nomine (nunc pagus eo loco) ad regiam Urbem Nymburgum amœno circum aspectu; ditio hæc erat paterna Arnesti, certè ditionibus paternis vicina; S. Apollinaris Templum stabat altissimum; ad quod Arnestus Cœnobium inprimis condidit, deinde amatos sibi dilectosque Canonicos sub A. 1349. Raudnicio evocatos induxit. Quæ Fundationis litteræ, quàm dives Cœnobium, qui qualésque ab initio viri in eo vixerint, aliâque his similia, perditis omnibus moni-

Paproc. l. cit.

monimentis, non possum dicere, & brevi etiam eorum com-  
 ratione excusor, nam quatuor & viginti non ampliùs annis, eum  
*Montem* incoluisse Canonicos, compertum habeo. Illud æquè  
 certum, ab *Arnesto* doctissimo Præsule, doctissimos quoq; *Saczkam*  
 adductos ( viros à viro, veteri verbo, lectos diceres ) quorum sin-  
 gulari doctrinâ commotus *Carolus IV.* Imper. A. 1363. bonâ *Ar-*  
*nesti* veniâ, *Saczenses Canonicos*, Pragam itidem in *Montem*, qui  
*Wétrow* appellatur, ad aliud *S. Apollinaris* Templum transtulit. Transfertur  
 ad Montem  
 S. Apollina-  
 ris Pragæ.  
 Ibi, ut sapientiæ suus honos esset, néve thesauro abscondito simi-  
 lis lateret, scholas sacrarum litterarum à Canonicis aperiri, & ju-  
 ventutem altioribus disciplinis informari, iussit. Secuta utilitas  
 manifesta: nam ex proxima *Wissebradensi* Ecclesia Clerici, aliq;  
 Juniores Sacerdotes, doctrinâ invitati, frequentes veniebant. Er-  
 go liberalissimus Princeps, Montem illum *S. Apollinaris* totum,  
 elegantissimis domibus implevit, & Magistris Canonicis, quibus  
 jam antè de necessarijs *Arnestus* stabili foundatione providerat,  
 victum lautiorè, & Censur plures, ut sinè œconomix cura do-  
 cerent liberius, adjecit; quam donationem novam litteris *Ar-*  
*nesti* confirmatam, scribit *Hagecius*. Latum id sine dubio Cano-  
 nicis; Pragæ in urbe, in summa doctrinæ autoritate potius,  
 quàm in solitudine villarum, atque non procul à *Carloviensibus*  
 suis, quibus *Mons S. Apollinaris* imminet, versari. Sed neque hic  
 firmum & stabile solum docta Religio, & religiosa doctrina in-  
 venit; in communi omnium Monasteriorum excidio, A. 1420.  
 post quinquaginta septem, quàm apertæ erant, annos, scholæ illæ,  
 subjecto ab hæreticis igne conflagrârunt, Canonicis dilabentibus.  
 Hic consilij pulcherrimi & utilissimi finis.

## Notæ in Caput III.

**P**Lurimos Ordines Religiosos in Bohemia. Monasteria  
 Bohemiz.  
*Referamus ex Hagecio Cœnobiolorum numerum in eorum  
 gratiam, qui Bohemiae historicos non legerunt; Ordo S. Be-*  
 H h nedicti

nedicti in sola Bohemia (nam Moraviam & Sileciam hic omitto) Cœnobio habuit 23. omnia suis ditionibus, & perpetuis censibus stabilita; ingenti Monachorum multitudine, maxime Brzewnoviense florebat. Ordo Prædicatorum utriusq; sexus, Cœnobio viginti. Cistercienses (quorum divi via maxime ab antiquis Scriptoribus commemorantur) Cœnobio quatuordecim tenuere, inter ea Sedlécense & Zbraslavien- se opulentissimum, ut ex Foundationibus apparet; Canonici Præmon- strateses, quindecim ditissima Cœnobio utriusq; sexus; Canonici Regulares S. Augustini, decem habuere; Eremitæ Ordinis S. Au- gustini, undecim probe & opulente fundata; Ordo S. Francisci, quos minores vocant, pro utroq; sexu, duo & viginti Monasteria; Strictioris Observantiæ (quos hic Bernardinos appellant) novem Cœnobio. Cœlestini, regie stabilita cœnobio tria; Ordo S. Mariæ Magdalena, quatuor; Crucigeri Pruteni, tria; Crucigeri Rhodi- enses divitijs inclyti, Commendaturas habuere sex; Crucigeri cum rubra cruce & navicula, Cœnobio tria; Crucigeri cum rubra stel- la, duo; Templarij immensis opibus (deinde deleti) arces munitissi- mas octodecim, cum ditionibus longè pluribus habuere; Carthusiani Eremos duas; Ordo S. Cyriaci, Cœnobio ditissimum unum; Ambro- siani, unum; Minimi S. Francisci de Paula, duo; Servi Beatissimæ Virginis, unum. Adeoq; numero inito, in Bohemia 172. Cœnobio (quo- rum nomina recitat Hagecius) fuerunt; omnia, uno Ordine S. Fran- cisci strictioris observantiæ (utpote Mendicantium) excepto, non censibus tantum, sed villis & ditionibus, liberalissimè fundata.

Canonici Re-  
gulares à S.  
Augustino  
certissimè  
instituti.

In Catalogo  
script. Eccles.

Flora

**Canonicos Regulares à D. Augustino insti-  
tutos.** Miror quid Nicolao Crusenio venerit in mentem (C. 22.  
23. 24. sui Monastici Augustiniani) probare conari, Canonicos Re-  
gulares à S. Augustino, institutos non esse, neq; id fieri potuisse. Non  
audeo quod sentio scribere, legatur Bellarminus in Augustino, Bâ-  
ronius Tomo 6. Miræus in Prologo Originum Regularium, clarè id  
Possidius S. Augustini discipulus, Cap. 8. ostendit. Pius V. in Bulla  
A. 1546. compertum fatis est, inquit, ex litteris Apostolicis, diver-  
sisque alijs documentis, rationibus & probationibus, quòd ipsi  
Cano-



Canonici Regulares fuerunt, & sunt de illis Clericis à S. Augustino institutis, &c. *Quid ad hac dici potest? utinam aequè sua, quae ibi attulit Crusenius, probare posset; quae sanè mihi mira mirorum sunt visa. Nihil pugnabo, sed admirationem meam communicabo Lectoribus. C. 12. probat Crusenius, S. Hilarium Arelatensem Episcopum, Ordinis Eremitarum S. Augustini fuisse. C. 16. S. Paulinum Nolanum Episcopum. P. 2. C. 1. S. Patricium Hibernum, S. Germanum, S. Severum, S. Severinum, Caesarium Arelatensem. Cap. 5. S. Fulgentium Ruspensem, plurimòsq; alios Episcopos. S. Columbanum & Alcuinum, qui Parisiensem Vniuersitatem instituit, &c. Illud verò mirabile, quod nunquam nec audisse, nec legisse memini (C. 24.) S. Franciscum Seraphicum, antequam suum Ordinem institueret, priùs Augustinianum Eremitam, & quidem in Ordine Professum fuisse. Ibidem Crusenius docet: Simplicibus in Religione factis Religiosis votis, religiosum fieri non posse, quod est contra Bullam Gregorij XV. Ascendente Domino. Hac alij iudicent. Lator Crusenium non legisse de S. Ignatio, eum ad Manresam in Eremo vixisse, nam sinè dubio, etiam S. Ignatium Augustinianum fuisse scripisset. Vide, quae de S. Augustini Ordinibus certissimà Pontificum auctoritate, & ratione probata attulit Azor noster, 12. Instit. moral. C. 23.*

**Trebonense Cœnobium operâ R. P. Adami Kravvasky recuperatum.**

*Res ita contigit, quam in Vita ejusdem VEN. Patris narratam huc transfero. Trebonam missus erat, circa Annum 1626. ad animas Christo lucrandas, felici, ut semper, successu; nam ibi quinq; hominum millia reduxit ad Fidem. Trebona dum esset, Senatu universo sequente, Civitatem perambulavit: fortè ad locum quendam desertum deveniunt, in quo riuina, min: q; mirorum ingentes pendebant. Senes qui aderant, rogati quid esset? Monasterium hie ante Hussitica tempora stetit, respondent: succedit Pater, ut aliquod religionis nostrae vestigium videre atq; ostendere Senatui posset; inveniunt januam quandam in parte adiuam intro ducentem, sed eam clausam, & ferro probè munitam; jubet Pater ser-*

Trebonensis  
Cœnobij re-  
stitutio no-  
stro saeculo

rium fabrum advocari, & aditum facere; id cum factum esset, vident omnes spatiosissimum & speciosissimum, ut apud Catholicos esse solet, sacrarium; Ecclesiastica supellex optimè composita, Casulæ, Manipuli, Stolæ, Albæque, ut vocant, omnia quasi jam jam sacrificaturis parata, cum omni apparatu Templorum. A seculis pluribus ita jacuisse ipsa antiquitas argumento fuit: etsi enim in speciem integra videbantur, victa & corrupta erant omnia, materiaq; serica omnes, ut narrabat P. Adamus, velut prunarum exuvia & cineres distabantur, statimq; peribant. Laudare deinde solebat illis divitias, & brevem pulchritudinem Pater, multumq; hodiernis Templorum ornamentibus præferbat. Nam auro, & Phrygio opere confecta sacra vestes, in stellarum modum lucebant. Res hæc omnibus spectantibus admirationi fuit, affirmabantq; periti, toto Monasterio in flammis abeunte, hanc unam Cellam sine dubio, sacrilegas Zifscæ manus evasisse. Totam hujus spectaculi seriem Regi Ferdinando Viennam P. Adamus perscripsit. Negotium ille rursus R. P. Wolfgango Sylvano, Rectori Collegij Crumloviensis dedit, in Monasterij Antiquitatem & Iura, si qua essent, inquireret, & primo quoq; tempore ad se mitteret. Factum diligenter, & continuo, eodem agente, Rex hunc monasterij locum, & bona circa Trebonam, qua à Dominis occupabantur, Canonicis Regularibus S. Augustini, jussit restitui. Hæc ex Vita P. Adami.

Ferdinando III. cum Regi tantum.

Boczkonos cur ita appellati.

**S. Apollinaris Templum in Saczka.** In hoc Templo Majores Regis Georgij Podiebradij, Boczkonos appellatos, (quod eorum quispian ex latere Matris mortua excisus esset) sepultura locum habuisse, tradit Paulus Zidek in M. S. libro Chronicorum.

Carloviensis Monasterij Praga dignitas & opes.

**Non procul à Carloviensibus.** Carloviense Monasterium Templo pulcherrimo addito, ut hodièq; videmus, exstruere cepit Carolus IV Anno 1351. in urbe nova Pragensi. Consecratum primò est Anno 1377. ob Templi & habitationis magnitudinem, tot annis protracto edificandi labore, sed neq; tum omnino absolutum. Hoc unum Carolus à se, & à Templo, quod S. Carolo Magno struxit, voluit

voluit appellari, ut Carloviense diceretur. In consecratione ejus  
Cæsar omne argentum Mensæ, conventui Religioso donavit.

Circa A. D. 1457. invenio Joannem ad S. Carolum Abbatem,  
à pietate & doctrina in manuscriptis Codicibus commendari. Legi  
ejus aliquot Epistolas sapientissimas de observantia Regulari, &c.  
Chronicon item M. S. Glacense sic de eo scribit: Joannes ad S. Ca-  
rolum Pragæ Abbas, vir fuit magnæ litteraturæ, & loquebatur  
Teutonicè & Bohemicè, sciens antiquam observantiam in Bohe-  
mia, &c. Huic verò Carloviensi Monasterio, velut principali, pluri-  
ma alia subjecta fuisse apparet. Idem Chronicon A. 1464. Venit in  
Monasteriū nostrum, R. P. Dominus Joannes, Abbas Canonico-  
rum Regularium S. Caroli in nova civitate Pragensi, petiitque ut  
aliquis Fratrum sibi concederetur de nostro Conventu, qui ido-  
neus esset adjutor & director novi Præpositi, quem proficere in-  
tenderet in Engelsheim, circa partes Rheni, quod Monasterium,  
pleno jure omnino dignoscitur subjectum, quia ipse jam careret  
fratribus ad hoc valentibus.

Confirmat hac, quæ nunc ex Manuscriptis attuli, Abbas Trithe-  
mius in Chronico Hirsaugiensi A. 1360. de Carolo IV. loquens: Aulam  
inquit, villæ Ingelheim, non longè à Moguntia & Rheno, quam  
Carolus Magnus, pro castro residentiæ Majestatis suæ cisrhenanæ  
quondam habuit, in quo & natus, & gladium ab Angelo, contra  
Saracenos pugnaturus, accepisse cœlitus missum, incolarum fide  
creditur, Carolus IV. in monasterium Canoniorum regulæ S.  
Augustini commutavit, statuens neminem in eo ad religionem  
suscipiendum, nisi in Bohemia natum: quod ita hætenus serva-  
tur usque in præsentem diem, per annos non minùs centum qua-  
draginta quatuor. Subjecit autem ipsum Cœnobium Abbati

Monasterij S. Caroli in Praga, pro tempore exi-  
stenti, ad quem ejus visitatio debeat  
pertinere.

Hh 3

Alte-

## Alterum Rokyczanæ Cœnobium.

## CAPUT IV.

Stránský C. z.  
Zcip. Bojem.

De Cœnobio  
Rokycza-  
nensi Cano-  
nicor. Reg.

Reverendif-  
simus D. Se-  
bastianus  
Zbraslawsky  
S. Metropol.  
Eccl. Prag.  
Canonicus.

**R**okyczana Civitas est, Pilsna quondam æmula, dum Husso studeret, circumferturque in Rokyczanenses salsum Catholicorum Pilsnensium dictum, quod Stránský, etfi Piccardita, refert: *gabalum in Vrbe Pilsena antiquiorem, quam Rokyczanorum Civium Religionem esse.* Ex ea urbe notissimus ille, & tantum non hæresiarcha, *Ioanes Rokycanus* prodijt, fax & turbo Patriæ, quem *Georgij Podiebrady*, Bohemiæ Regis, Pontificem possis dicere. In hac Civitate opulentissimum Cœnobium, *Canonicis S. Augustini*, circa Annum 1349. excitavit *Arnestus*, attribuitque Templum, quod an ab *Arnesto* conditum, an preparatum antè, dono Canonicis cesserit, ignoratur. Splendidum ceterè est, eaque ætate dignum, quæ ad magnificentiam, & quandam æternitatem omnia referebat. Cœnobij ipsius ruinæ, operis dignitatem demonstrant; Camera alta, fornices impavidi; reliquæ adhuc esse cubiculum quoddam Palatio simile, narrant, qui viderunt. Quos pagos, quæ prædia, ac cætera hujusmodi *Arnestus* attribuerit, inter manus Decanorum Rokyczanensium esse dicunt, mihi videre non contigit; Bibliothecam præterea manuscriptorum librorum egregiam, eo in loco latuisse scio, an manus insidiantium evaserit, nescio. Tradunt Cives audisse à Majoribus, longè ante Canonicos, eo loco *Virgines DEO* sacras habitasse, quod mihi probabile non est, cum nulla omnino antiquitatis memoria in manuscriptis historijs inveniri possit. Sed cubiculum hodièque monstratur admirabile, in quod ingressi, dulcedine quâdam liquidissimæ pietatis, & sensu cœlesti impleantur, ut experti nar-

narrant. Eo in cubiculo preces Sacerdotum quotidianas, ad captandam pietatem dicere *Patres* Nostri solebant; nam eam Civitatem, ut plerasque per Bohemiam, primi omnium nostræ Societatis *Patres*, post Annum 1624. Christo sunt lucrati. Forsitan olim *Venerabilis Arnesti* habitatione consecratus locus, odorem hunc pietatis, quo afflantur, attraxit. Excidendi hujus nobilis Cœnobij (ut plurimorum per Bohemiam) administrum, *Cacodæmon Ziskam* elegit. Is Anno 1421. cum *Tachoviâ*, virtute obessorum repulsus, abiret, *Rokyczanam* accessit, & ad colloquium Cives evocavit; exiêre. Ille se fessum tot prælijs, recreari velle, cibis & hospitio, admittique in Civitatem postulat: nihil acturum hostile, & abiturum innoxie pollicetur. Homines antiquæ simplicitatis, qui verba pro factis solerent accipere, seu quòd irritatum *Tachoviensium* repulsâ timebant, admisère, totamque illam *Taboritarum* colluviem, instructis per domos mensis, lautè habuêre. At *Taborita* saturi, rectâ in *Canonicorum Cœnobium* feruntur. Aras deiiciunt, statuas detruncant, Imagines sacras detrahunt, & inter manus lacerant, diffugientibus *Canonicis*, Cœnobium spoliant, ibique deprehensum amabili senectute Sacerdotem *Canonicum* notissimæ virtutis, vasi inclusum, facto circum rogo, belluæ ferales incendunt, epiphonemate adjecto exclamantes: *sic decet nos implere omnem justitiam.* Adeunt sanguinarium illum *Cyclopem Rokyczanenses Cives*, de injuriâ & pactis violatis amice exoptulant. Ille Civium pietate irritatus, *mox*, inquit, *referetis responsum*; simul signo suis dato, expilari Urbem, & rebus omnibus, quæ rapi per tumultum possent, spoliari jubet, perfectoque latrocinio urbe discedit. Ita fidem à nobis exigere solent hæretici, quam non præstant. At *Canonici* semel pulsî, Civibus *Hussum* secutis, & Templum occupantibus, (cum hæresis annos continuos ducentos regnârit) nunquam *Rokyczanam* redire potuerunt.

Excidium  
Cœnobij Ro-  
kyczanensis  
à *Ziska*.

Traditio est:  
totam fami-  
liam Religi-  
osam à *Tabo-*  
*ritis* in *Tr-*  
*be* quadam  
suspensam,  
quæ *Trabs*  
hodieque  
monstratur  
inter *rudera*

Notæ

## Notæ in Caput IV.

Regem Georgium Catholicum obijisse probabilis est conjectura.

**G** Georgij Regis Pontificem Rokyczanam. Hic Rokyczana, Georgium Regem in Catholicos omnes armavit; hujus impios conatus optimè omnium descripsit Dubravus hist. Bohem. libro 27. 28. 29. Ad extremum, paulò ante mortem, Georgium Regem ad Catholicorum partes transisse, probabile est, eamq; conjecturam R. P. Georgius Crugerius S. I. in suis Pulveribus sacris sequetur. Aliquid etiam de pœnitentia Regis Georgij innuere videtur Dubrav. hist. Bohem. l. 30. Et sanè Georgij Regis filij, Henricus, Victorinus, Henricus minor, & Petzko, Catholicè ac religiose vixerunt & obierunt. Mihi pro omni argumento est, quòd Regis Georgij cadaver, à summis Pontificibus excommunicati, Administrator Archiepiscopatùs, & Canonici (quos viros doctissimos, & legum Ecclesiasticarum peritissimos, & servantissimos fuisse scio) in Templum S. Viti inferri, & inter Catholicos Reges sepeliri sunt passi; quòd, nisi pœnitentiæ signa dedisset, futurum non erat; præcipue, quòd ex Regibus Bohemia nullus atrocius, quàm Georgius, Pragensem Ecclesiam oppugnàrit.

Disputatio Catholicorum, & fortitudo adversus Georgium Regem, & hæreticos.

Injurius in historiam Patriam, & Religionem Catholicam mihi viderer hoc loco, si narrationem quandam de Georgio Rege vetustis membranæ inventam, utilissimam scitu, & ad Ecclesiæ Pragensis decus & gloriam, ab eo qui rebus interfuit, scriptam, præterirem silentio. Non sum tam obliviosus in historia, ut existimem hæc ad Arnestum pertinere; sed satis scio, nullam alibi ferè hujus, cum Rege Georgio & Catholicis, Colloquij extare memoriam, ac fortè, nisi hîc referatur, perituram. Adde, quòd tota hæc Arnesti vita, in gloriam Ecclesiæ Pragensis à me scribitur; unde si ad Arnestum minùs spectat, ad Pragensem ejus Ecclesiam spectat; qua singulari DEI beneficio in medio hæreticorum constituta, semper fidem servavit, & in Petra Apostolica fidei solidata, cursum plurimorum sæculorum consummavit, ideòq; repõsita est ei corona Justitiæ. Ex hac Scriptoris vetustissimi

nat-

*narratione discent posteris, Fortitudinem Majorum, quâ Regibus Victoribus, & quos acies timebant, inermes Catholici Sacerdotes viriliter restiterunt. Sic ergo habet Narratio, inter membranas Glacenses inventa.*

Anno 1462. in festo S. Ludmillæ, Convocatio fuit omnium Sacerdotum totius Regni Bohemiæ, ad instantiam Regis Georgij (qui se declaraverat noviter ad partem Utraquistarum, in præsentia Baronum, & Procerum Regni, & Jodoci Episcopi Wratislavienfis, & Protasij Episcopi Olomucensis) *Describit deinde author illius diætæ initium & exitum, ex quodam qui rebus interfuit: Cùm autem, ait, parendi tempus appropinquasset, junximus nos alijs, & mandatis Superiorum parvimus, & cùm collecti fuisset* in castro Pragenfi, quasi Septingenti quatuordecim, nihil ipso die actum est, quia distulit Rex propositiones suas, usque in diem Sabbathi sequentem: sed D. Doctor, Archiepiscopatûs ejusdem Administrator, ipso S. Ludmillæ die, pulcherrimum, benèq; comptum sermonè, omnibus Clericis pertexuit, sugillans sub rosa sectam tam pravissimam. Et post sextâ feriâ mandavit omnibus, ut per Spiritûs Sancti invocationem, ad eandem scilicet Metropolitanam Ecclesiam, omnes concurreremus. Nobis ibi existentibus, solennis Votiva est celebrata; quod Legistæ, sed potiùs Wiclefistæ videntes, id ipsum in die Sabbathi, in omnibus Synagogis suis fecere, & cùm tempus tam lugubre advenisset, summo diluculo omnes in pristino loco adventavere, & ad audiendas propositiones tam infaustas se paravere. Tempus nempe jam nobis erat præfixum, ut puta tertia decima hora. Tunc iterum providus Pastor, volens consolari suas oviculas omnes, in Capellâ S. Wenceslai *jussit ire, & diligenter lupos experiri, nè ovibus miscerentur. His ergo peractis, duleiter nos affabatur, qualiter pergere, & coram Rege persistere deberemus, nec qualemcunque quæstionculam cum adversarijs movere, & qui loqui, quive tacere deberent, indicavit. Et si, quod absit, furere, aut insanire vellet, & violentas manus in aliquos mittere, reminisci debetis, quòd omnes in multis membris, unum corpus sumus, & vos pro tanta*

Numerus Catholicorum Sacerdotum in medio nationis pravæ hæreticorû.

Auxiliū co-  
leste petitur.

Oratio Regis  
Georgij.

Oratio Ad-  
ministrato-  
ris Pragenfis  
Ecclesie ad  
Regem Ge-  
orgium.

violentia usque ad mortem opponere. Hæc, & multa alia valde lacrymabilia protulit, sic, quod multi ad ejulatus, & singultus fuerant provocati. Omnibus ergo Amen respondentibus, in terram prostrati flexis genibus, Patronos Regni Bohemiæ humiliter precabamur, ut suffragium nobis in hoc negotio præstare dignarentur, & Orthodoxæ fidei populum defendere. Sicque trini & trini passim incedentes, processionem perpulchram constituerant à Castro, quousque ad Regis curiam iter persolvebant, alij flentes, alij ridentes: quia tanquam oves ad victimam ducebamur. Cùm igitur ibi venissemus, Rockyzanum cum suis complicibus nos prævenisse reperimus. Propositio ergo Regis primò talis erat. Nos quantum potuimus regna coadunavimus, & pacem fecimus, vos autem Sacerdotes, inter vos jurgia excitatis, vos mutuo hæreticando, sepulturam mortuis denegando, aliæque infinita mala perpetratis. Secundò Sacerdotium fœdatis, cum suspectis mulieribus consortia habentes, ludis, cæterisque nefandis operam datis, & nisi resipueritis, ex quo spiritali judicio caretis, nos pro remedio providere oportebit. Tertiò volumus, & mandamus, ut Compactata, quæ antiquitus nobis sunt concessa, pro unitate & pace hujus Regni solida & fixa, ut authentica, conserventur, & nullus aliquâ excusatione ipsis contraire audeat. Ex quo prædecessores nostri, Sigismundus, Albertus, Ladislaus, ipsa ut rata, approbata, & auctoritate Apostolicâ concessa, firmiter tenere constituerunt, quod & ego attenuare nullatenus cupio, sed potius defendere, & usque ad mortem pro ipsis certare. Quod si facere proponitis, modicâ deliberatione posthabita, nobis edisseratis. Tunc paululùm secessimus, & deliberatione habitâ, D. Doctor ad singula sic respondit: Serenissime Princeps, Ad propositionem propositam, unanimi voluntate sic respondemus: Maiestati regis, immensas gratiarum actiones referimus de pace, & tranquillitate, & multa prospera sibi imprecabatur. De secundo respondit: Verum etiam, multa mala agitantur per Sacerdotes, sed nobis molestum est & incium; quod si aliqui tales ex nostris essent, vellemus DEO auxiliante, & auctoritate quâ fungimur,

calet



tales acriter punire, sed quia nescimus, ergo quempiam injuste punire nolumus. De tertio, quod vestra Serenitas movit, videlicet de Compactatis, breviter id respondemus, quod Generosissimi Domini responderunt: Nos Compactatorum nunquam indignis, nec adhuc indigere, sed quibus permessa sunt, si teneant, DEVS sit arbiter. Quidquid enim de pace in ipsis continetur, libenter amplectemur, sed quod nobis quidpiam salutis afferant, non cognoscimus. Confidimus ergo de Majestate vestra, quod Venerabilem hanc Ecclesiam Pragensem, cum viribus defendere, sicut ceteri Christianissimi Reges velitis & dignemini: Nos alium Riturum, quam eum, quem à Romana Ecclesia recepimus, ignoramus, & mori plius delectat, quam huic portæ cœli, in aliquo contrariare. Tunc Doctor noster vertens se ad suos, & quærens, utrum responsa talia nobis placerent? clamor validus insonuit: placet, & in æternum placebit! Tunc Rex aliquantulum in se fremuit, & volens talibus responsis obviare, obtulit quandam litteram, quam quidam Vicarius, Michaël nomine, Pragensis Ecclesiæ, de Rege ad suam sororē in eadem secta viventem, conscripserat, quæ ista continebat. Quomodo Rex parti suæ adhereret, & in Legatos Apostolicos sæviret, & se hæreticum declarasset, & his similia, quam Rex oretenus lectabat: sed tamen DEO volente, præfatus Dominus Michaël, præstō non erat. Inculcat ergo Doctori nostro, & omnibus nobis sapissimè hæc scripta, per omnia se excusans, & quod nunquam restitisset Apostolicæ Obedientiæ: sed quæcunque jurasset, tenta essent, subjungens: quod per hoc non esset inobediens, quod communicaret sub utraque specie, quia non esset contra legem, licet esset contra Decreta Papæ. Aliquoties se in hac secta mori declarans. Nec etiam, ait, Legatum Apostolici cepimus: sed Procuratorem nostrum, & proditorem, ac malè dispensatorem. Ergo petere pro tali nefando homine desistatis (liberationem enim ipsius prius petivimus) Tunc Doctor dixit: Nos scimus, quod Venerabilis Pater & Doctor egregius, Fantinus, Legatus verus sit Papæ Sanctissimi, & quæ commissa sibi, explevit. Cur autem tam pudorosè detentus sit, nos in præ-

Domini, scilicet Catholici Proceres.

Fortitudo, & magnanimitas Catholicorum Sacerdotum in præsentia Regis hæretici.

Responsum Catholicorum pro Fantino Apostolice Legato.

Responsum Catholicorum pro Fantino Apostolice Legato.

sens latet. Tunc Rex: Tantis blasphemijs nostram offendit Majestatem, quòd si tu talia faceres, tibi minimè parcerem. His ergo quæstionibus finitis, mandat Rex, ut caperetur Dominus Michaël per Doctorem, & præsentaretur suæ Majestati; sed utrum factum sit nescio, sicque digressi sumus. Sed antequam posses egrederemur, reaccessisti fuimus; Tunc mandat, ut in crastino reverteremur omnes, vel saltem Decani, & potior pars, sicque licentiâ captâ, in Raudnitz profecti sumus, fuerant ergo nostrates usque in feriam tertiam sic vexati, nec vocati, nec dimissi. Tertiâ autem feriâ quasi fuerant calculata, & mandatum, quòd Compactata præ omnibus custodirentur, nec partes diversæ se mutuò lacerarent: sed superioribus suis quælibet obediret. Tunc Rokyczanus, super quodam Magistro Andrea, nostræ partis Presbytero, est conquestus dicens, ipsum sibi obedire nolle. Tunc Rex; Tu vis ut tibi omnes obediant, & tamen nulli vis subesse. Sicque nostri abiverunt, & ad propria remeabant. Dilatio ergo talis superstitiosum quid prætendebat: sed Dominus dissipavit consilium eorum: nullitabant enim è nostris aliqui, quòd duo Episcopi detenti fuissent, & Domino Apostolico præsentati, quos Rex cum suis adventare præstolabatur, qui si venissent, Episcopum ipsis creâssent, nobis præsentibus. Nihil ergo famâ dignum in hac dieta est factum, nisi quòd nostrates fatigati sunt, & Rex publicè se talem declaravit, qualem ipsum Egregius, & in Christo Venerabilis Pater, & Dominus Dominus Fantinus electus Cardinalis, esse convicit; quem vincit vestris Charitatibus commendo; tanta enim coram Rege eructavit, quòd si singula vellem describere, dies non sufficeret, nec chartula talis caperet. Constanter ergo vir ille magnanimus, usque ad carceres pro fide certavit. Omnem enim efficaciam Sacramentorum istis sectis abstulit, auctoritatèq; Apostolicâ, ipsis magnum dispendium intulit, anathematizando, excommunicando, tanquam latrones & fures, aliunde quasi per ostium in ovile ascendentes, quod in tota Bohemia à Christi fidelibus ratissimè tenetur.

Dicum Regis Georgij contra Rokyczanam,

Pantinus fortiter tulit iram Regis, & carceres.

Ter-

# Tertium, unà cum magnifico Templo, Coenobium Glacij.

## CAPUT V.

**M**agnam semper in *Glacenses* benevolentiam, magnūmq; amorem prætulit *VEN. Arnestus*, multisque argumentis testatum ad posteros relinquere voluit, quantum eam Civitatem amaret, in qua educatus, à *DEI* Matre inter Clientes receptus, litteris operam dedisset, domūmq; haberet, ut *Civis*. Dedit id quoque Patris sui memoriæ, quem *Glacensis Districtus Capitaneum* appellant historici. Sed neque curam è Cælo Urbis hujus omisit, quandoquidem ad imminentes urbi calamitates, ut postea dicam, oleum ex tumulo sudavit. Nullum tamen argumentum potentius, quam excitatum ea in Urbe pulcherrimum *Canonicorum Coenobium*, quod *Dive Virgini* dedicatum, Religioni præsidio & ornamento diu fuit; dividam in certa capita omnem hanc tam egregij operis descriptionem; nam ex hac una Fundatione (quam inter manus habemus) reliquarum gloriam, quarum monumenta perierunt, licebit cognoscere; simul jam hinc veniam à Lectoribus peto, si brevitatem mihi antè propositā, hoc uno capite nonnihil excessero. Rerum varietas id à me poscit, tum veneratio tot litterarum *S. Præsulis*, ac venerandæ Antiquitatis amor, cujus ab hinc annis trecentis, quasi sepultus honor, revocatur in lucem, & à tinearum avaritia, voracissimisque blattarum dentibus, inter tot bella sanguine, religiosorum extincta, & incendia terrarum & lapidum, vindicatur. Illud etiam Lectores ignoscent, si quando ejus sæculi verbis utar, cujus acta describo; non enim in barbariæ, sed in claritatis gratiam ita sum locutus.

Arnesti perpetuus in Glacenses amor.

Vveleslavinas in Calen. hist. tit. lxxij.

Stransky in Rep. Bohem. C. 2.

Arnesti prima consilia ad Cœnobij Glacense fundandum.

§. I. Apparatus ad foundationem Cœnobij Glacensis ab Arnesto Archiepiscopo factus.

**C**ùm pridem statuisset *Arnestus* *Canonicis S. Augustini*, omnium eorum quæ condidisset antè, pulcherrimum Cœnobium fundare, ante omnia, ut opus æternitatem haberet, vicinas quasdam *Glacio* ditiones, dissimulato consilio, cum Fratribus suis *Smilone* & *Wilhelmo*, maximo pretio comparare cœpit. Id factum longè ante Annum 1350. *Carolus* Rex Rom. significat litteris A. 1349. Pragæ, ultimâ Martij datis, quibus eam emtionem confirmat, quarum initium est hujusmodi:

*Nota: pridem. Carolus DEI Gratiâ Romanorum & Bohemie Rex, &c. Pridem VEN. Arnestus S. Prag. Ecclesia Archiepiscopus, Princeps, & devotus noster dilectissimus, & sui Fratres, quedam bona, agros, possessiones, & pradia in villis Sweylderdorff, &c. suo pretio compararunt, nosq; demum consideratis multiplicibus meritis probitatis, & constantis fidei puritate, quibus idem Archiepiscopus, & dicti sui Fratres, nostre Majestatis oculis multimodè placuerunt, &c.*

Emta verò sunt à Fratribus de *Glubocz*: *Ottone*, *Renzkone* & *Nicolao*: Pagus *Sweyeldorff*, *Bertholdsdorff* cum allodio in *Ymsiehsdorff*, & curia in *Glacz* emente, ut aiunt, *Arnesto* Divinâ magnificentia S. Ecclesie *Pragensis* Archiepiscopo, pro 718. Marcis argenti. Id pretium aliquot antè annis solvere *Arnestus* cœperat. Anno demum 1350. totum exsolvit. Sûntque ea de re duplices litteræ ab iisdem *Glubocz*'s fratribus, feriâ 5. post Dominicam *Invocavit* datæ, quibus omnem se pecuniam recepisse farentur; altera in vigilia *Pentecostes* hoc anno 1350. In ijs litteris *Smilo*, & *Wilhelmus de Pardubitz*, uterini fratres *VEN. Arnesti* vocantur.

Templum B. V. Annunciatæ à fundamentis extruitur ab Arnesto.

Comparatis hisce ditionibus, ad adificationem processum est: magnificum *Beatissimæ Virgini MARIE* (Annunciationis Filij *DEI* titulo) in monte *Glacensi*, templum extruxit. *VEN:*

*Arnestus*. Quod Templum qui viderunt (stetit enim, ut post dicam, ad Annum 1621.) commendare satis non possunt; deinde aggressus ædificationem Cœnobij, locum totius Urbis altissimum, ob aëris libertatem saluberrimum, ob camporum, fluyij *Nissa*, & totius Urbis, vicinorumque ac remotorum Montium, aspectum latissimum elegit; omnia eleganter & animo regio, ut solebat, adornavit. Laudat *Glacensis* historicus *Furius* eam descriptionem, miratur aulas, ambitus, cameras, aliâque ad æternitatem quandam parata. Hujus quoque Cœnobij venustatem, formam, arcus, columnas, & fornicum protensiones & projecturas, *Seniores Nostra Societatis Patres*, à quibus id audiui, mirè deprecare solebant, aiebântque nullum id temporis totà in *Bohemia & Moravia* Collegium, huic comparari potuisse. *Wenceslaus Hagecius* Canonicus Ecclesiæ *Boleslaviensis*, in brevi illo de *Arnesto* Elogio, rem tantam non tacuit: appellat *ædificium regium ac præstantis*, imaginibus ac tabulis pretiosis plurimis ornatū, quæ hominum mentes in pietatis amorem raperent, parietes omnes imaginibus, ab arte commendatis coopertos, fenestras vitreas coloratas, ad gratiam oculorum luxisse, atque etiam ipsas imaginibus spectabiles fuisse. In hoc eodem Cœnobio, imitatus illos qui, ut ait *S. Job*, *ædificant sibi solitudines*, Cellam quandam, ut vocant, pro se ac famulo unico, extrui jusserat *Arnestus*, tam occulto, tamque difficili ad aditum loco, ut penè ab ipsis Canonicis vulgò ignoraretur. In eo quotannis delitescibat certo tempore, sæpiq; ac Cæsaris aulicos fallebat, qui in gravi quopiam negotio citatis equis Archiepiscopum *Romam*, aut *Avenionem* abijisse credebant. At *Arnestus* interim *Aule* fastidia ponebat, & in ea solitudine, ut loquitur *Hagecius*, *Beatissimæ DEI MATRI* serviebat. Sed hæc postea in *Arnesti* virtutibus, extremo libro commodiùs narabuntur. Emit præterea *Arnestus* ab iisdem fratribus *Glubocys* hortum, sub *S. Wenceslai Bohemico* Templo situm, quem animi causâ, velut optimum vicinum, invisere *Canonici* quoties vellent, possent.

In *Glaciographia* p. 1. C. 20  
sect. 7.

*Arnesti* solitudo *Glacij* ædificata.

Notz

## Notæ in §. I.

Omnis nomi-  
na, quod ho-  
dieq; Fami-  
lia illa No-  
bites super-  
sint.

Anno 1350  
10. Cal. Nov.

Arch. N. 44.

Duz Marcæ  
libram unâ  
argenti effi-  
ciunt.

**D**issimulato Consilio, Id necessarium fuit, ob quos-  
dam in Glacensi Districtu, professos penè Religiosorum &  
Ecclesiasticorum hostes, qui noluisse has ditiones Ecclesia-  
stici juris fieri, ideòq; Arnestus Fratres suos ad emtionem adhibuit.  
Nominat. quosdam ex ijs Chronicum M. S. A. 1433. Districtus, in-  
quit, Glacensis Vasalli ab A. 1367. statim post obitum Reverendissimi  
in Christo Patris D. Arnesti, Monasterium oppugnârunt, præcipuè  
Hanko de N. & Wolfframus de N. Item A. 1457. Ioannes N. hostis Cœ-  
nobij vocatur, actaq; sunt lites coram D. Putha de Ryzmberg. Ni-  
mirum vivo Arnesto hiscere non audebant. Causa autem præcipua  
fuit, quod Carolus IV. per auream Bullam, omnia bona Cœnobij a po-  
testate seculari, ipsosq; subditos, in Arnesti gratiam, ab omnibus Regijs  
servitijs, & stentis in perpetuum, ut loquitur, absolvisset. Quâ  
N. N. alijs quoq; Religiosis, ut Braunentibus, molesti fuere.

**A** Fratribus de Glubocz. Insignia fratrum isto-  
rum gentilitia sunt, Piscis ignotum genus, ei simillimum & gemi-  
num, quod Illustrissimos Barones Hystrle gestare videmus. Pagi emti,  
Swedeldorff, Bertzdorff & Liferdorff hodie vocantur. 718. Mar-  
ca argenti graves data, pro marca qualibet 64. grossos argenteos com-  
putando, pecunia eo tempore non parva.

## §. 2. Inductio Canonicorum in Mon- tem Beatissimæ Virginis, & Fundatio Cœnobij Glacensis.

Chronicum  
Glacense M. S.  
mit.

**I**am ad Inductionem veniamus, in qua describenda placet sua  
manuscriptis Codicibus verba relinquere. A. D. 1349. Re-  
verendus in Christo Pater Arnestus inchoavit, fundavit, & ere-  
xit, instituit, & in propria persona consecravit 25. die Martis,  
hoc

hoc est in die Annunciationis S. MARIE, Monasterium Canonico-  
 rum Regularium Montis S. MARIE in Glatz Pragensis Dice-  
 cesis. Constructo igitur, ut permittitur, Monasterio ac dotato, primum  
 Sweideldorff inferiori, & Bertholdi villa, & aliquot laneis in superio-  
 re Sweideldorff, nec non & allodio in Hisenrichsdorff, & horto sito pe-  
 nes castrum Glacense, pariterq, cum quadam Curia munita in eodem  
 castro Glacensi, qua omnia continentur in aurea Bulla, sive typario D.  
 Caroli IV. tunc Regis Romanorum & Bohemia A. 1350. Iubileo, re-  
 cepti sunt Fratres de Raudnicz, & introducti in pacificam possessio-  
 nem, qui sibi elegerunt Praepositum I. nomine Ioannem, aut forte idem  
 presentatus fuit D. Archiepiscopo per D. Nicolaum tunc Praepositum  
 in Raudnicz, nam utrumq, potuit esse, licet certitudinem investigare  
 non potuerim. Hoc ergo pro presenti sufficiat, quod Ioannes est nomen  
 ejus, scilicet primi Praepositi Glacensis, & ipse rexit usq, ad 33. annum;  
 nam A. D. 1382. viam universae carnis ingressus est, fuit vir litte-  
 raturae magna, &c. Ego ipsas foundationis ab Arnesto litteras ex  
 Originalibus à me ipso exscriptas hic recitabo, ut Arnesti Ma-  
 gnifica, Regia & pia voluntas ac intimus animi sensus possit in-  
 telligi. Sed notanda est ante omnia ingens optimi Praesulis de  
 hujus Monasterij perennitate cura & sollicitudo; nullam rem u-  
 nis litteris satis confirmatam & stabilitam esse putabat: itaque &  
 Foundationis litteras, non ut vocant *Vidimatas*, sed *Originales* suo  
 sigillo saepius, ac insuper plures Caroli Regis, ac Caesaris litteras,  
 quibus haec *Fundatio* comprobatur, Canonicis munitas reliquit;  
 syngraphas item à *Glabossijs* Fratribus plures.

Neque hac securitate contentus, *Clementem* Papam VI. ap-  
 pellavit; vidi *Clementis* litteras *Avenione* 8. Calend. Maij, Pon-  
 tificatus sui Anno X. datas, in quibus adductum se *Arnesti* pre-  
 cibus, confirmare ejus acta *Glacensia*, & *foundationem*

Canonorum Apostolica auctoritate ap-  
 probare declarat.

Arnestus  
 Templi puf-  
 cherrimum  
 à se conditum  
 consecrat.

Primus Glacensis Praepositus.

LITERÆ FVNDATORIÆ  
COENOBII GLACENSIS CA-  
NONICORUM REGULARIUM S. AV-  
GVSTINI IN MONTE B. MARIÆ.

**I**N Nomine Domini Amen. ARNESTUS  
DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ Sanctæ Pra-  
gensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Smilo &  
Vilhelmus fratres ejusdem Domini Archiepi-  
scopi, dicti de Pordubitz, universis præsentium  
inspectores salutem in Domino sempiternam.

In præsentis sæculo scimus, sive orationibus,  
sive consilijs invicem nos posse adjuvari. Cùm  
autem ante Tribunal Christi venerimus, nec  
Job, nec Danielelem, nec Noë rogare posse pro  
quoque, sed unumquemque portare onus su-  
um. Et ideo quisque mortalium dum in hu-  
manis agit, in operibus\* & eleemosynarum lar-  
gitione se talem exhibere & exercere tenetur, ut  
pro ijs, quæ hîc misericorditer elargitur, præsen-  
tis vitæ subsidia, & æternæ claritatis præmia à  
Domino, qui multipliciter, & in perpetuum  
mansura tribuit, recipere mereatur. Cupientes  
igitur

\* Sanctis.



igitur transitoria & terrena pro cœlestibus & perpetuis felici commercio commutare, vitamque consequi sempiternam: Ecclesiam, ad laudem & gloriam omnipotentis DEI, ejusque Genitricis Virginis MARIÆ semper gloriosæ, ac in divini cultûs augmentum, pro Præposito & Canonicis Regularibus per nos constituendis & ponendis, ac perpetuò inibi permansuris, in oppido Glacz nostræ Pragensis Diœcesis, jam construere cœpimus & fundare, ipsamque adjuvante Domino perficere laudabiliter intendimus, & complere. Quam quidem Ecclesiam in honore sanctæ MARIÆ Virginis, ut præfertur, intitulari volumus, & etiam insigniri. Et quia spiritualia sinè temporalibus non subsistunt, idcirco ut memorati, videlicet Præpositus & Canonici Regulares, qui nunc erunt, & pro tempore seu perpetuis temporibus fuerint, & esse debent eidem Ecclesiæ in divinis officijs, diurnis scilicet & nocturnis, devotè & laudabiliter servientes, congruè & decenter valeant sustentari, & alia necessaria exinde percipere, & habere. Bona & redditus, ac proventus infra-

K k 2 scriptos,

Quid in hac  
Fundatione  
VEN. Arne-  
stus spectarit

*Nota: in alio  
autographo  
multa hic in-  
serta, quæ ad-  
feruntur in No-  
ta.*

*Bona Mona-  
sterij.*

scriptos, quæ & quas à Nobilibus Viris Renczo-  
ne videlicet, & Nicolao Fratribus de Globucz,  
accedente ad hoc serenissimi Principis, & Do-  
mini nostri D. Caroli Romanorum Regis spe-  
ciali licentiâ & consensu, pro nostris pecunijs  
communibus emimus, siue emptionis titulo &  
jure hæreditario duximus comparanda præliba-  
tæ Ecclesiæ, nec non Præposito, & Canonicis  
Regularibus supradictis, ac pro sustentatione  
eorum, pro nostrorum ac Parentum nostro-  
rum redemptione, & remedio peccatorum. Et  
ut Orationum ac suffragiorum, quæ in dicta  
Ecclesia fient, participes existere valeamus, ex  
mera liberalitate donavimus & donamus, con-  
cessimus & concedimus, conferimus & contuli-  
mus, ac donationis titulo assignavimus omne  
jus proprietatis, & directi ac utilis dominij præ-  
dictorum reddituum & bonorum in prædictos,  
scilicet Præpositum, & Canonicos Regulares,  
successoresque eorum liberaliter transferentes,  
proprietatis jure per ipsos procul dubio possi-  
denda, & possidendos. Nomina autem bono-  
rum & reddituum per nos emptorum & dona-  
torum

torum sunt hæc: In primis in Svveidlerdorff inferiori triginta septem laneos censuales cum prato, & quibusdam agris superfluis, qui propriè & vulgariter Zbizkovve nuncupantur, quorum, *prati* videlicet & agrorum redditus annuatim ad duorum laneorum sufficientiam se extendunt. In superiori Svveidlerdorff, unum cum dimidio laneum sub aratro, & unum laneum censualem. Sex quoque laneos censuales minùs dimidiâ tertiâ virgâ in Bertholdorf, ac in Insen-henrichsdorf allodium de duobus laneis cum dimidio, & hortum unum antecastrum Glacense situm cum Curia, sive Domo in Castro Glacensi sita cum censibus, fructibus, abventionibus, honoribus, libertatibus, juribus, iudicibus, iudicijs, rutetis, pascuis, silvis, aquis, aquarúmve decursibus, fluminibus, rivis, piscationibus, piscatoribus, vineis, pomerijs, hortis, & cum omnibus utilitatibus ad bona prædicta pertinentibus, in quibuscunque rebus consistant, quæ tenuimus & possedimus pacificè & quietè, renuntiantes expressè pro nobis, & successoribus nostris omnis juris auxilio, vel actio-

Aliud autog:  
Pratorum.

Sollicitudo  
VEN. Arne-  
sti de æterni-  
tate hujus  
Foundationis

Anathema  
in violen-  
tos.

ni, quod & quæ nobis competere possent circa  
bona prædicta quælibet in futurum. Præterea  
dicit Canon: valde est iniquum, & ingens sa-  
crilegium, ut, quæcunque pro remedio pecca-  
torum, vel pro salute ac requie animarum sua-  
rum unusquisque Venerabili Ecclesiæ contulerit,  
aut certè reliquerit, ab his quibus maximè  
servari convenit, id est Christianis & DEVM ti-  
mentibus hominibus, in aliud transferri vel  
converti, vel quomodolibet usurpari. Quare  
nos Arnestus Archiepiscopus supradictus, omnes  
& singulos Christi fideles, cujuscunque statûs,  
aut præminentix existant, auctoritate omni-  
potentis DEI, quâ fungimur in hac parte, ex-  
hortando requirimus, & monemus, & remissi-  
onem ipsis injungimus peccatorum, ut nullus  
bona, & redditus supradictos prædictæ Ecclesiæ,  
in honore Beatæ MARIÆ Virginis, ut prædicitur,  
dedicandæ, collata, & collatas invadere vel spo-  
liare, aut quamvis molestiam irrogare audeat, &  
præsumat, alioquin contrarium faciens, nisi sibi  
& loci restitutione & satisfactione prospexerit,  
indignationem omnipotentis DEI, qui iratus  
ani-

animas percutit, ipsiusque Genitricis, cuius factum agitur, ipso facto incurrat, & maledictione perpetuâ feriatur; quos quidem in vasa bonorum Ecclesiasticorum constat à Patre, & Filio, & Spiritu S. condemnatos esse, & deputabuntur, ubi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur; quia DEO adversantes. In cuius donationis nostræ testimonium, & robur perpetuò valiturum, præsentibus litteras fieri volumus, sigillorum nostrorum appensione, & munimine roboratas. Datum Pragæ Anno Domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo Jubileo. X. Calend. Novembr.

*Sigillum Arnesti DEI gratiâ Archiepiscopi Sanctæ Ecclesiæ Pragensis.*

*Sigillum Smilonis, Sigillum Wilhelmi  
Utriusq; Equus dimidius frenatus, ut Malovecorum esse solet.*

## Notæ in §. II.

**I**psas foundationis litteras. Magna cum admiratione mea geminas Originales foundationis litteras in Manuscriptis membranis inveni, quæ non parum in quibusdam adjunctis differunt. Quas verò hic recitavi, datæ sunt. A. 1350. Jubileo, X. Cal. Novembris. Altera 1352. die 22. Mensis Martij. Priores sigilla habent. incorrupta: Archiepiscopi Arnesti, tum Fratrum ejus Smilonis & Vilhelmi; posteriores idem sigillum Archiepiscopale Arnesti. *præ-*

Litteræ Foundationis ab Arnesto geminæ, & multum differentes.

præterea Capituli S. Pragensis Ecclesiæ, itidem illasa. Vnde ea litterarum diversitas nata sit, & quid sibi velis, fateor me ignorare. Referam tamen fideliter, ubi differunt: In primis igitur posteriores litteræ, Anni videlicet 1352. omittunt illud: Smilo & Vilhelmus, usq; ad verba de Pordubiz. Deinde post illa: Domini Caroli Romanorum Regis speciali licentiâ & consensu; addunt: pro pecunijs, de Nostris & Archiepiscopatus nostri bonis discretis, proventibus, ad nostram duntaxat mensam Archiepiscopalem spectantibus pro nobis, ac usibus nostris recollectis, reservatis, & reconditis. Quas quidem pecunias, expensarum sumtus moderando, parcius viventes recollegimus, reservavimus, & recondimus, de voluntate & expresso consensu honorabilium virorum Dominorum Prædicatorum Decani, Sdellai Scholastici, ac totius Ecclesiæ nostræ Pragensis Capituli; habito tamen cum Decano, Scholastico, totoque Capitulo prædictis, super præmissis & infrascriptis, tractatu solenni, ipso quoque sæpius repetito, absque omni profus Archiepiscopatus nostri, ac prætaxatæ mensæ nostræ bonorum læsione, seu præjudicio qualicunque, eminentis, seu eminentis titulo, & Jure hæreditario duximus comparanda, &c.

Rursus, loco illius, quod in prioribus litteris positum invenitur: Pro nostrorum ac Parentum nostrorum. In posterioribus litteris est: pro nostrorum, ac omnium Christi fidelium redemptione, &c. Ex mera liberalitate additur: dotantes concedimus, conferimus, & donamus, ac donationis, & dotationis titulo assignamus, omne Jus proprietatis, &c. Post illa verba: in castro Glacensi sita: adduntur: nec non villam Kostomlat sub monte Ripino sitam cum araturis sive robotis, agris cultis & incultis, cum Censibus, &c. Bona prædicta qualibet infuturum: in postremis sequitur: Addidimus etiam ad prædicta, quod Præpositus & Canonici Regulares, qui sunt & pro tempore fuerint, nobis de hac luce subtractis, de redditibus, sive proventibus suis, & sui Monasterij prædicti quinque marcas argenti grossorum Pragensium, sexaginta quatuor grossos pro marca computando, in Nostræ commemoratione Anniversarij, Dominis Canonicis, & Ministris

Auxilium fundationem Arnestus.

Anniversarium mortis Arnesti.

fris Ecclesiae Nostrae Pragensis annis singulis, qui in eadem Ec-  
clesia, in dicto Nostro Anniversario interfuerint, per quindenam,  
ante diem Anniversarij nostri sub poena dupli; quam, contrarium  
facientes, ipso facto incurrere volumus, solvere teneantur, & 16.  
reliquos pro ejusdem Missae offertorio deputamus. Praeterea di-  
cit Canon, &c. *In cuius rei testimonium*: Sigillorum nostrorum,  
& Capituli Pragensis praedicti appensione &c. *Datum Praga 1352.*  
*die 22. Mensis Martij.* Sciendum est ex Chronico M. S. Glacensi  
A. 1484. Pragense Capitulum petisse a Praeposito illas quinq; marcas,  
per D. Blasium Canonicum Prag: feria IV. in festis Paschalibus: ne-  
gavit Praepositus se debere ob plurimas causas; nunquam ab anteces-  
soribus mentionem factam, sine dubio compositionem intercessisse, ami-  
sisse Monasterium Bona in Bohemia, &c. *Lis tracta est usq; ad*  
*A. 1487. quo datis Pragae litteris 17. Junij, ob paupertate Monasterij,*  
*Capitulum Praeposito Glacensi omnia remittit. Vide Chronicon. Hac*  
*acta coram Principe Henrico Regis Georgij filio:*

Neque hac securitate contentus, Nullam un- Neta bene: li-  
berantur bona  
Canobij ab  
omnibus tribu-  
tu.  
quam donationem aut fundationem tot Regum, ac Caesarum, ac Prin-  
cipum litteris confirmatam vidi, quam haec Arnesti fundatio. Ca-  
rolus Imp. A. 1350. X. Cal. Novembris Bullam auream edidit, &  
ab omnibus stauris, & regijs servitijs Schwedeldorffenses, & alios  
Monasterij subditos absolvit. Plures sunt in hanc sententiam Ca-  
roli littera (Fascicul. litter. N. 45.) A. 1350. absolvit a sua subje-  
ctione, Scultetos pagorum, & donat illos Arnesto, & hic Mona-  
sterio. De Clemente VI. jam dixi: Bullam auream Parentis recitat. De aurea Bul-  
la Elurius in:  
Glaciogr. p. 26  
c. 3. sect. 1.  
& confirmat Wenceslaus Romanorum & Bohemiae Rex, & omnem  
immunitatem operum, & staurarum concedit, recitatq; alias Caroli  
litteras similes de Kostomlat, quas confirmat. *Datum in Burgleis*  
*A. 1384. 26 Junij. Idem Privilegium approbat Joannes Dux Op-*  
*paviersis, qui se regia auctoritate Coronae Bohemiae Capitaneum*  
*in Glatz subscribit, A. 1409. Idem approbat Jodocus Marchio*  
*Moraviae; idem Joannes Archiepiscopus Prag. eadem omnia plu-*  
*rimis litteris confirmat. Sigismundus Imperator A. 1434. 3. Mar-*  
*tij.*

ry, & 28. Martij, & 12. Maij Basileâ: *Quarta littera sunt ad Hakonem de Waldstein (A. 1437. die Natiuitatis B. V.) Capitaneum Glacensem de immunitate subditorum Monasterij. Sigismundi litteras inserit suis Synodus Basileensis A. 1430. 15. Cal. Septembr. Et ante id A. 1434. 4. Cal. Iulij eadem Synodus, ab omnibus oneribus Monasterij subditos liberat, & contra injurias secularium, tutores Monasterio constituit Episcopos Olomucensem & Wratislaviensem. Nec Monasterio defuit Albertus Boh. Rex, qui eadem omnia confirmat, Wratislavia A. 1438. 4. Decembris. Idem praestitit Henricus senior Dux Münsterbergensis A. 1475. die S. Galli, & A. 1499. Albertus, Georgius & Carolus Duces Münsterbergici, & tandem Ferdinandus I. A. 1528. 17. Septembr.*

Arnesti laudes in Cæsaris litteris.

*Multa in hisce litteris passim Arnesti commendatio est. Sigismundus Imper. Basileâ A. 1434. 28. Martij ad civitates scribens: Nôstis clarè, quomodo Serenissimus Princeps, divæ memoriæ genitor noster carissimus D. Carolus, nec non Venerabilis Arnestus Archiepiscopus Pragensis, instinctu Spiritûs sancti, piâ devotione permoti, Monasterium B. M. V. in Glatz erexerunt.*

In fasciculo membran. litterarum Caroli N. 45.

*In ejusdem Sigismundi litteris, datis A. 1438. 15. Cal. Sept. quas Wratislaviensis Senatus germanicè reddidit, appellatur sceltiger Gedächtnuß Erzbischoff Arnestus. Carolus IV. ad Magistros Civium & Scabios Glacenses Nürimbergâ 12 Augusti Anno Imperij Rom. 12. inter alia: Fundatoriæ Ven. Arnesti olim Pragensis Archiepiscopi, quam in Civitate Glacensi suâ devotione paravit sub titulo Montis S. MARIE Canonorum, propter multa fidelia, utilia, & grata obsequia, quæ ab ipso tunc vivo recepimus, &c. volentes omnino, in omnibus suis juribus, &c. conservare. Mandavimus, &c.*

### Fundationis litteras sigillo Arnesti. *Est si-*

*gillum Arnesti grande in rubra cera; sed & in throno Archiepiscopus in Archiepiscopali habitu; ponè adstant duo Leones; ad latus dextrum sub throno, insigne visitur Archiepiscopatus usitatum, in campo nigro alba linea; a sinistris medius Equus frenatus; circum sigilli*

*mat-*



*margines legitur: Sigillum Arnesti DEI gratiâ Archiepiscopi Sanctæ Ecclesiæ Pragensis.*

Omnes historici affirmant, Glacensem *Fundationem* amore *Beatissimæ Virginis perfectam*. *Paprocins*: Ernestus Archiepiscopus rursus aliud Cœnobium Glacij condit, idque in honorem B. Virginis. *Stransky Piccardita*: Glacense Cœnobium divæ Virgini dedicatur. *Idem habet Chronicon M. S. Glacense. M. S. Vita. Hagedek, &c.*

*Paproc. in Diadocho C. de Monasterijs.*

*Stransky in Rep. Bojem. C. 27*

### §. 3. Cœnobium Glacense multis opibus augetur ab Arnesto, singularibusque Privilegijs exornatur.

**J**am saepe dixi, *Arnestum* plus ferè in conservandis, quam inchoandis rebus operæ, ac diligentia adhibere solitum. Itaque etsi jam numeris suis omnibus absoluta fundatio videbatur, inductique *Canonici*, non cessabat tamen optimus *Praesul* majora ac majora opum & potentia praesidia Cœnobio suo adungere: In primis *Parochiam in Kostomlat*, in perpetuum à *Praeposito* regendam, attribuit. Datae sunt litteræ A. 1352. 21. Martij in Refectorio apud Ecclesiam nostram Pragensem, annexo ipsi Pragensi Ecclesiæ. Addidit eodem anno Cœnobio ipsam villam suam egregiam, *Kostomlat* appellatam, quam postea pro *Willemsdorff*, ob vicinitatem, *Canonici* commutarunt. Sed jam antè *Arnestus* *Patronatus in Schwedldorff, & Paczdorff* Anno 1350. Cœnobio donaverat *Arnestus*, priusque (ut erat Princeps liberalissimus) Ecclesiam eo in loco exstruxit, quæ etiamnum in aditu ipso templi, *Arnesti* praefert insignia, & dimidiatum Equellum è lapide excisum ostentat. Villæ deinde pulcherrimæ addita Cœnobio: *Luka, Slupno, Chodun, Westud, Dussnik, &c.*

*Arnestus bona Cœnobio adijcit.*

*Archio. tit. Praepositura & tit. VVerndorff.*

*Pecuniam in futuras necessitates Cœnobio relinquit.*

Sed etiam pecuniam grandem, ut necessitatibus futuris confuleret, *VEN. Arnestum* *Canonicis Regularibus* reliquisse, vel ex-

Archiv. tit.  
Civitas.

eo patet: quòd adhuc vivente *Arnesto* A. 1363. *Præpositus*, max-  
imâ pecuniâ domum & braxatorium liberum ab omnibus exactio-  
nibus, vigilijs, steiris, &c. cum omni jure *Glacij* emerit in ipsa  
civitate, ut litteræ civitatis indicant. Deinde brevi tempore in-  
terjecto, post *Arnesti* mortem, eidem Civitati 100. marcas argen-  
ti graves, idem *Præpositus* mutuas dedit; unde grata Civitas om-  
nia prædia, ac prata Cœnobij ab omni civili onere in perpetu-  
um liberavit. Video donationibus, & Legatis plurimis Cœno-  
bium aliunde quoque ornatum postea fuisse, sed ea quia ad insti-  
tutum non spectant, prætereo.

Archiv. tit.  
Collegium.

Privilegijs  
multis Cœ-  
nobium or-  
nat.

At *Arnestus* multa, magna & rara *Privilegia* Cœnobio li-  
beraliter contulit, inter quæ illud *Præposito* datum, ut omne Jus,  
quòd habet *Archiepiscopus Pragensis* in Religiosos, excommuni-  
candi, in carceres iniiciendi, absolvendi, &c. *Præpositus* haberet;  
non tamen, ait, se Juribus *Archiepiscopi* derogare quidquam vel-  
le, sed potestatem suam tantum *communicare Præposito*. Litteras  
*Venerabilis Archiepiscopi* in hunc modum concludit: si quis con-  
trâ prædicta quidquam præsumserit, *DEI misericordis, & Sanctorum*  
*Viti, & Adalberti Martyrum indignationem se noverit incursum*.  
*Prage A. 1350.*

In fasc. litter.  
Caroli Imper.  
N. 45.

Apologia 2.  
Ordinum sub  
utraq. P. 2.  
N. 58.

Sigillâ Præ-  
positi & Cœ-  
nobij.

Nomen huic Cœnobio amabile, ab amabili *DEI* Matris no-  
mine, *Arnestus* imposuit, dicebaturque *Mons S. MARIE Ca-*  
*nonicorum Regularium Ordinis S. Augustini*. Apologia Ordinum  
Regni Bohemiæ vocat *Præposituram Beatissima Virginis super*  
*Montem*.

Sigillum Cœnobij ( nè quid per negligentiam præterijisse  
videar ) est Beatissimæ *DEI* Matris ab Archangelo salutatio. Si-  
gillum *Præpositi* *DEI* Matrem cum puero *JESU* coronatam habet  
stantem sub artificioso cœlo, quæ ea ipsa est ( ut ex omnibus li-  
neamentis totòque vultu, statu, gestu, sceptro, corona, apparet )  
quæ olim ab *Arnesto* vultum avertit. Id unum erravit sigilli scul-  
ptor, quòd statuam invertit, adeoque dextra in sinistram, sinistra  
in dextram in sigillo transivit. Vetuerat *Arnestus*, atque Excom-  
municationi *Præpositos* futuros subjecerat, si quando scholas sa-  
cularium

ularium puerorum curandas Canonici suscipere, quæ res graves passa difficultates, tandem Concilij Basileensis auctoritate, ut dicam in Notis, debuit terminari.

Notæ in §. III.

**D**onationibus & legatis plurimis auctum postea Cœnobium. *Ad magnas divitias Glacense Cœnobium pervenerat, ut indicat Hagek; sed mihi otium non fuit, tot fascēs membranarum excutere. Quedam obvia referam: A. 1354. Erhardus de Sulcz Eques, arcem suam quandam Cœnobio donat. Hac super resunt litteræ Beneficij de Chaußnik Capitanei Glacensis. A. 1395. die Iovis ante S. Martinum, prata & sylvas Canonici obtinent; confirmat hac Stephanus Poduška de Martinitz ex Regia Guardia (ita enim se subscribit) Capitaneus Glacensis; Sigillum est illud, & Martiniczianæ Nymphæas exhibet. A. 1401. Bernardus de Glaubitz, Dominus in Schnellenstein, & Patruelis ejus Otto, Dominus in Mittelvalde multa Cœnobio donant; Otto insuper A. 1403. sylvas in Wernersdorff addit. A. 1499. accessit Cœnobio annuus census quinq; marcarum à Ducibus Münsterbergæ.*

Ab alijs quoque Cœnobium hæc dicitur.

Fascic. lictor. N. 45.

Ibidem.

N. 1. tit. Münsterberg.

Vetuerat Arnestus sub Excommunicatione, nè Scholas puerorum haberent Canonici; *cujus rei causam pridem attuli. Vix diem supremum clauserat Ven. Arnestus, statim successor ejus Joannes Archiep. Pragensis, Glacium ipse adveniens A. 1365. X. Octobr. scholam pro 16. adolescentulis Glacensibus, & 8. alijs fundare ag greditur, & præsentè pecuniâ attributâ fundat. Din repugnare Canonici, & quamvis decretis Joannis, tum Zbygnæi, Archiepiscoporum, mox Wenceslai Regis A. 1412. litteris Carlsteinijs datis, instigante Albico (qui ibidem Archiepiscopus, & Princeps novus appellatur) urgerentur, residebat*

De scholis Glacensibus apud Canonicos.

Arch. N. 44.

A. N. 17.

tamen

tamen semel injectus, a tanti Praesulis Excommunicatione, scrupulus, & lex aeterna, in quam Praepositus, Canonicique jurarant. Igitur Sigismundus Caesar A. 1434. 12. May scholas aperiri jussit, neve illius superesset in animo Excommunicationis timor, Synodus Basileensis, eodem Caesare rogante, obligationem illam sustulit. Neq; tantum Conscientiam adversantem diu habere Canonici, sed etiam quidam Petrus Brostblech scholas Canoniorum evertere, & destruere tentavit. Res multis jaetata litibus, deniq; victus Petrus, Archiepiscopo Pragensi Sbinconi 50. sexagenas multa nomine coactus est numerare.

#### §. 4. Memorabilia quaedam Glacensis Monasterij.

M. S. Chronicon Ms. Chacili Praepositi,

Glacensis Coenobij a virtute gloria.

Littera Alberti Ducis M. S.

Chronicon, M. S.

Quaedam tantum hoc loco, in gratiam antiquitatis, attingam, nam infiniti esset operis, satis justum Volumen scripti Chronici exscribere. A. 1382. obiit Ioannes I. Praepositus B. Virginis in Monte, quem Raudnicio Glacium Arnestus transtulerat. Vir fuit a doctrina multum commendatus, qui librum edidit, cui titulum fecit *Plectrum B. Virginis*. Item *Epistolas B. Pauli ad Romanos, & ad Corinthios* commentariis illustravit. A. 1406. 17. Junij Procopius Abbas Carloviensis, & Petrus Prior monasterij S. Mariae in Raudnicz, autoritate Sbinconis Archiepiscopi, omnia Canoniorum Regularium Monasteria per Bohemiam visitarunt. Tantam per id tempus disciplinae, & vitae Religiosae gloriam Glacenses Canonici floruerunt, ut, cum Albertus Dux Austriae in Tirnstain Coenobium fundasset, non aliunde quam Glacio Religiosos petierit. Non igitur immerito Andreas Viennensis Praepositus ad Glacenses scripsit: *Vestra Congregationis fragrantia, omnia Monasteria Nostra Religionis odore boni nominis semper superavit.*

A. D. 1427. cum Hussite, profligato Silesiorum exercitu, ad Glacium starent, Prior Canoniorum Henricus lorica indutus, & ense

ense succinctus, plateas obiens, Cives animavit ad defensionem, eaque ratione *Glacium* est servatum.

A. 1461. Interdictum *Glacij* affigitur, ob Regem Georgium hereticum; quia verò *Canonici* divina peragere volebant, expelluntur ex Civitate ab *Henrico Seniore filio Regis Georgij*.

A. 1468. *Sudat sepulchrum VEN. Arnesti*; qua de re litteras *Michaëlis* Præpositi ad Nuncium Apostolicum postea recitabo.

A. 1479. *Rudolfus* Episcopus *Wratislaviensis*, ex Nuncio Apostolico factus (antè *Episcopus Lavantinus*) *Glacium* venit, summoque exceptus honore, *Interdicto* Civitatem exsolvit. Plura de his rebus in *Notis*.

Henricus Canonici *Glacii* armatus *Glacium* contra *Hullitas* defendit.

Sepulchrum *Arnesti* oleum sudat.

## Notæ in §. IV.

**G**lacio Religiosos petierit. *Sunt ibidem littere Viennensium Canonorum id petentium, imò ipsius Austriae Ducis fundatoris Alberti. Mittitur ergo Glacio in Tirnstein Andreas, qui postea Præpositus ad S. Dorotheam Vienna fuit. Non minor gloria Trebonensis Cœnobij; nam Egidius, Trebonæ professor, Primus Viennæ Præpositus eligitur.*

A. 1421. *Omnia Monasteria per Bohemiam vastantur, expelluntur Canonici, bona in Kostomlat, Luky, &c. rapiuntur, scelere Pragensium, & Taboritarum. M. S. Chron.*

A. D. 1427. *Hereticis (qui se post Zisceæ mortem Orphanos appellabant) in Silesiam irruere parantibus, cum tota Nobilitate, Joannes Princeps Münsterbergensis, ultimus è Piaßi familia, occurrat ad Glacium, in ipso Pago Canonorum, qui dicitur Willmsdorff. Hullitæ castris positus Aciem ordinavere; concursum utriusque intrepide; sed latronibus robustissimis, & pridem in trituro exercitatis, Silesij resistere non potuerunt. Inter primos Joannes Dux Münsterbergensis cecidit, reliqui fugâ tenuere Glacium; cumque nec ibi recepti essent, per avia & devia fugientes, Silesiam repetiverunt. Magnum hæc clade discrimen adiit Glacium, nè eodem victoria im-*

Littere varia.

Continuatio memorabiliū Monach. Glac.

M. S. Pugna ad Glacium.

Henricus  
Canonicus  
servat Gla-  
cium.

petu ab Hussitis caperetur. Recitabo verba veteris Chronici: Eratum Prior Canonicorum Henricus; hic per se indutus loricâ, & succinctus ense, cum Laicis & Monasterij servis plateas obivit, & clamavit: Si Cives defendere Civitatem vestram non vultis, ego defendam! Unde animati dixerunt: Ecce, quid agit Monachus? defendamus nos, neque incurramus tantæ pusillanimitatis scandalum; & sic Civitas est servata.

M. S.

A. 1457. Hinko Krussina Capitanus Glacensis, maximus Monasterij Patronus nominatur; eo cooperante Libri, Clenodia & Ornatus Monasterij Wratislaviâ sunt recepti. Ita Chronicon. Id ego quasi pro miraculo accipio, nam quis Krussina fuerit, ex historia Hagecij constat.

Glacenses erant  
Catholici,  
Regi tamen  
heretico  
permanse-  
runt fideles.

Hoc tempore Castrum Glacense de novo edificavit Rex Bohemiæ Georgius; pro qua fabrica, suam lapicidinam Regi obtulere Canonici. Ita Chron. M. S.

A. 1461. Wratislavienses à Bohemis ceduntur, inq. mille ac centum captivos ex Wratislaviensibus Glacium adducunt. Chron. M. S.

A. 1461. Exules Glacio Canonici ob interdictum, habitabant in ditionibus suis: narratur ibi Pietas Vxoris Henrici Ducis, filij Regis Georgij. Nihilominus in Interdicto concessit Nuntius Apostolicus, ut solemniter Salve Regina, quod fundarant Arnestus, caneretur. Chron. M. S.

A. 1463. Michaël Præpositus Glacensis, cum Andrea Præposito Monasterij S. MARIE Assumptionis in Landskrona, autoritate Protasij Episcopi Olomucensis, visitant Monasterium B. V. MARIE Stellarum, seu Sternberg, Olomucensis Diocesis. Chron. M. S.

A. 1479. Post Regis Georgij mortem, Wladislaus primogenitus Regis Polonia, per Glacium transijt Pragam, ibiq. est coronatus. Chron. M. S.

Reliquie fa-  
cræ Brauno-  
vionensis Mo-  
nasterij.

A. 1486. Restituta sunt Reliquie Brzewnovionensis Monasterij ad Pragam Braunovium, que in his turbis Glacij apud Canonicos sunt servata.

M. S.

A. 1488. Finita est collectura Magistri Michaëlis, Octavi Præ-

Præpositi Glacensis. Ita Chronicon. Fuit hic Michaël de Niffa, Author hujus Chronici, vir egregius & cordatus. Is Anno sequenti 1489. (ut annotatum est) die SS. Marcelliani & Petri, celebratis divinis, nullo, nisi ætatis longissima, morbo, decessit à vita.

§. 5. Solitudo Cœnobij Glacensis, quod Societati IESV à Pontifice Clemente VIII. & Rudolfo II. Cæsare donatur.

Successere deinde calamitosissima Religioni sæcula, & Glacij Enthusiasmus & somnia Gasparis Schwenckfeldij regnare coeperunt; magnum quoque Catholicis, & Templis Glacensibus, vulnus Lutherus infixit.

Ex illo fluere, & retro collapsa referri Res Danaum.

Occupatur ab Hæreticis Templum B. Virginis apud Melitenses, Catholici cives oppressi, in odio omnium suorum (ut eos suæ paucitatis puderet) vivebant. Religiosi ad paucos, aut potius ad nullos redacti, in medio nationis prave, non Religionem, sed agrevitam, ac sua tuebantur. Anno jam 1593. unus in Cœnobio erat reliquus, & senio confectus Christophorus Præpositus; is, cum se imparem senio rebus gerendis, & hæreticorum quotidianis conturbibus videret, Præposituram in manus Nuntij Apostolici Cæsaris Speciani, Episcopi Cremonensis, confectis rite tabulis, quas vidi, resignavit. Post annos ab hac resignatione duos, jacentem & vacantem Præposituram Clemens VIII. Pont. Max. adductus Rudolphi Cæsaris pijsimâ voluntate, tum etiam hæreticorum in se olim Glacij contumelijs, Societati IESV cum omni Jure confirmavit; datis litteris Apostolicis Romæ A. 1597. 7. Idus Martij. Eares, etsi Pontifex & Cæsar (qui se pro Fundatore Collegij hujus semper gessit) maximè cuperent, obijcientibus sese ijs (quos hic nominare nihil attinet) suis impedimentis non caruit, quibus iterum,

Cœnobium Glacense dederunt Societati IESV à Pontifice ac Cæsare donatur, Archiepiscopo Prageni cõsentiente.

Arch. N. 38.

Archiv. titul. Colleg. N. 33.

rum, *Cæsaris* invictâ voluntate, Nuntij Apostolici *Ioannis Francisci Aldobrandini*, Summi Pontificis Neapolis, dexteritate, dejectis, missi *Glacium à Cæsare & Archiepiscopo Pragensi* publicè legati sunt: Illustrissimus Baro *Leopoldus Popel de Lobkowicz*, tum Præpositus Ecclesiæ Metropolitanæ, amantissimus Nominis nostri; *Pontanus à Breitenberg*, ac Jurisconsultus quidam *Cremper* nomine, qui Præposituram Societati traderent. Accepere possessionem solennibus cærimonijs *P. Ioannes Vivarius, & P. Andreas Neupauer* Societatis *JESV* Sacerdotes A. 1597. in fine Septembris, Annuæ nostri Ordinis litteræ rem totam brevissimè explicant:

*Annua S. I. Collegium Glacense, antè Canonicorum Regularium sedes, auctore A. 1598. Edg. dun. edit. A. 1607.* Christophoro Kermisero ejus Ordinis Præposito, Societati accessit. Videns namq; D. Præpositus se, in medio hereticorum, ad sustinendum adversariorum impetum imparem, ut Præposituram conservaret, & hereticos, quibus hæc scæret Provincia, errore liberaret, bona Societati coram Archiepiscopo Pragensi, Cœnobij Protectore, decernit, &c, quod ipsum *Clemens VIII* Pont: per litteras agit, quibus Archiepiscopus permotus, presente Nuncio Apostolico, & Præposito, Collegij institutionem, scripto dato, comprobavit. Accessit Imperatoris Majestatis consensus, cujus voluntate res dati Commissarij, qui Monasterium Beatissime Virginis in Monte *Glacij*, cum bonis omnibus, Societati tradiderunt. hæc ibi. Retinuit

*Societas Cœnobio expellitur, & Cœnobium ipsum solo æquatur.* eam in Monte Beata Virginis Stationem Societas, ad An. 1618. quo, publico decreto hereticorum Ordinum, in æternum proscrip-  
*Eluv. in Glacogr. l. 2. c. 3.* ta est. Sed neque exigi potuit magis, ipso solo per incendium raptò. Anno demum 1620 (quod tribus antè sæculis vaticinatus erat *Arnestus*) *Eriderico* ex Regno Bohemiæ *Glacium* fugiente, Templum *Dive Virginis* in stabulum convertitur. A. 1622. 13. Septembris, ultima manus exitio imposta, quo per incendium universa conciderunt, nè vestigio Templi aut Cœnobij relicto.

*Glacensis urbis hodierna pietas.* Quanta verò ex ea Traditione in rem Catholicam redundarit utilitas, dies ostendit. Quippe tota Civitas, totusque Comitatus, ab hæresi, à Patribus Nostris, ad religionem veram traductus, quantò olim pertinaciùs errorem, tantò nunc ardentius, & constantius veritatem tuetur & propugnat. Jam



Jam verò postliminio pace partâ, reversis Glacium *Patribus* Archiv. Glac. tit. Commenda N. 1. 2. & seq. *Nostri*, cum nihil, quod ante in Civitate habuerant, occurreret, Stationem tamen retinere, Fidei Catholicæ bono, necessarium videretur, FERDINANDVS II. *Imperator* admonitus, ne *Societas* fida semper Regibus, Belli detrimenta, quæ non meruisset, sentiret ac sustineret, *Templum Beatissima Virginis* pulcherrimum, & *Tumulo* In Narratione sua Visionis. *VEN. Arnesti* celebre, quod ad *Melitenses* vetustissimo Jure spectabat (cujus juris meminit etiam *Archiepiscopus Arnestus*) domum item aditam, quæ *Commenda* vocabatur, transactione cum *Melitenisibus* præmissâ, bonâ *Pontificis Urbani VIII.* totiusque *Ordinis Melitensis* gratiâ (quorum omnium *Originale* litteras legi) eodem Jure, quo *Melitenses* tenuerant, iisdemque *Privilegijs*, *Societati Nostre* donavit & tradidit. Porro *Equitibus* ipsis religiosissimis, *Commenda Glacensis* loco, ex qua, alienatis pridem bonis, parùm jam commodi ad *Equites* redibat, insignem in *Moravia* ditionem, *Meydelburg* nomine (*Cardinale à Dietrichstein* *Moravia* *Episcopo* probante) assignavit, quâ ditione libenter acceptâ *Equites*, *Societati Nostre* cesserant.

## Notæ in §. V.

**E**Nthusiasmus *Schwenckfeldij*. Verè ita ap-  
 p. *Hari potest*. *Schwenckfeldianorum placita* vide apud l. 2. c. 16. n. 8.  
 Remondum de Origine *Hæresum*: & apud *Gaulterium*  
 seculo 16. C. 66. *Glacij* verò hic *Heresiarcha* præfens, sua dogmata  
 profeminavit; nec obsistere *Catholici*, aut *Lutherani* potuerunt, nec Schwenckfeldius heresiarcha  
 Vir doctissimus *Christophorus Nextius*, *Glacensis Comitatus* De-  
 canus. Quippe *frivacitate* *Schwenckfeldij*, *compositisq;*, &, ut ita Glacij degebat.  
 dicam, de *capsula moribus*, *simularaq;* *sanctitate* capiebantur omnes.  
 De *Glacensibus rebus* multis egit ipse *Schwenckfeldius* in *Epistolis*,  
 maxime P. 2. Lib: 1. *Iam heresis hæc paucos habet sectatores*, &  
 cum *authore suo*, ferè *mortua* est.

M m 2

Cle-

Aldobrandi-  
nus postea  
Clem. VIII.  
Glacij lapi-  
dibus appe-  
ditus.

In Glaciogr.  
l. 3. c. 3.  
§ 1.

**Clemens VIII. adductus hæreticorum contumelijs.** *Narrant Senes: Clementem VIII. ante Pontificatum, cum è Legatione Polonica, quâ fugebatur, Pragam ad Cæsarem, Legatus futurus, proficisceretur, & Glacium transiret, ibi appetitum lapidibus; superato periculo, conversum ad Glacensia mœnia dixisse: ô hæretici! hanc ego vestram vindicabo injuriam, immittamque in vos Jesuitas, quos damone pejus odistis! Nunquam postea cogitationem Sanctæ hujus vindictæ Aldobrandinus omisit, dum tandem Pontifex creatus, quod pridem optârat, consecit. Ridiculus autem est Ælurius Prædicans Glacensis, qui A. 1597. à kirmisero Præposituram Jesuitis venditam scripsit. Optarem, addidisset venditionis litteras, ut constaret, quanto Collegium Glacense, si iterum vendendum esset, licitari possemus. Nimirum apud hæreticos sacra & profana venduntur.*

## Quartum Coenobium Jaromirij in Bohemía.

### CAPUT VI.

Jaromirensis  
Coenobium  
ab Arnesto  
fundatum.

**Q**uantum superiore capite patientiam Lectoris multitudine rerum fatigavi, tantum in hujus Coenobij Origine indaganda, desertus ab omnibus Manuscriptis, cogor, etsi minimè velim, notitiæ subtrahere; tantæq; sunt in hac Antiquitate tenebræ, ut, perditis omnibus monumentis, nè Annum quidem dare possim, quo Coenobium surrexerit. Etsi enim *Chronicon M. S.* affirmet *primum Glacense*, alterum *Jaromiriense*, tertium in *Saczka*, quartum *Rokyczana* ab *Arnesto* conditum, tamen divitias forsitan secutum scriptorem, aut in  
Ordine

Ordine dignitatem, non antiquitatem respexisse, vel ex eo liquet, quod *Sacxense* longè ante alia omnia stetit, quod tamen tertium posuit. *Paprocus*, in suo de Bohemiæ Monasterijs Indiculo, *Iaromiriense* ultimo loco inter *Arnesti* foundationes nominat. Ego existimo circa annum 1356. initium Cœnobio datum, cum jam *Glacense*, quasi subsidente ad constantiam solo, immobili auctoritate staret, suisque se opibus ac viribus tueretur. Neque enim, ut reor, tot simul Cœnobiorum adificationibus distringi *Præsul Optimus* potuisset. Honori *Beatissima DEI Matris* conditum à *VEN. Arnesto* constat, titulum in Manuscriptis sæpius legi: *Monasterij B. Mariæ in Iaromir*. Nominatim A. 1410. *Iacobus Præpositus B. Mariæ Canoniorum in Iaromir*, discordias quasdam, inter Præpositum *Glacensem Augustinum*, & *Canonicos* exortas, felicissimè componit; Vir doctrinâ & probitate conspicuus, cujus in *Glacensibus* membranis plures ad concordiam spectantes *Epistola*, & publica monita recitantur. Opulentissimum hoc Cœnobium *Iaromiriense*, & quasi (ut ita loquar) sumen cæterorum fuit, non ab unius *Arnesti* liberalissimâ manu tantum (qui se ipsum benefactis quotidie superabat.) sed multò maximè à vicina Nobilitate certatim conferente, multis auctum ditionibus, reliqua omnia provocabat. Suspiciari ex quibusdam ambigè scriptis possum: Nobiles, & Illustres quospiam Viros, in hoc Monasterio vitam religiosam professos, hæreditatis suæ portionem aliquam attulisse. Insuper Nobiles quædam familiæ, in hoc Monasterio *sepulchri jus* (quod apud Bohemos id temporis sacrosanctum) multis in *Canonicos* beneficijs impetrârunt; quales fuere *Plesij de Slanpna*, qui ab eadem stirpis origine cum *Cordulis* & *Sadowskijs* descendunt.

Sed jam ad cruentissimam *Canonicorum* cædem, & luctuosum Cœnobij *Iaromiriensis* excidium narrandum, inopiâ rerum, cæterarum, accingor, & originem ipsam cum excidio conjungo; *Ægyptiorum* exemplo, apud quos serpentes, ore corpus extremum mordentes, fangebantur. A. 1421. cum *Pragenses* & *Tabo-rite* bellum immortale, & internecinum *Catholicis* omnibus, ac

M. S. Chron.  
Michaëlis  
Glac. A. 1410.  
30. Octobr.

Cœnobium  
Iaromirense  
dives & opu-  
lentum.

Excidium  
Iaromirense  
Cœnobij.

præcipue Religiosis viris indixissent, *Iaromirium* tandem (captis prius in ea vicinia pluribus oppidis, arcibus, & Civitatibus) accesserunt oppugnaturi. Pessimè *Iaromirium* oderant hæretici, quòd Catholica & religiosa Civitas esset, & quòd à Cæsare *Sigismundo* missum Urbi Præfectum *Bozkovicium*, accepisset. Tercio Pentecostes die, comparatis omnibus, quæ ad expugnationem valere poterant, sublato clamore manè summo, mœnia fanatici duo exercitus aggrediuntur. Invenère paratos oppidanos; Religione, quod in bellis acerrimum telum est, confirmati Catholici, nihil optabant magis, quàm longiorem hostibus furorem, quo ipsi præclare æterentur, & de prædonibus Religionem ulciscerentur. Tenuit oppugnatio à manè primo ad meridiem, satiatiq; hæreticorum cade cives, ex *Pragensibus* septingentos, ex *Tabornis* nongentos & sexdecim, intra sex horarum intervallum, occiderant; non erant tum cuniculorum bella, nec otium illud assidentium ad mœnia, & ex mutuo pavore cunctantium. Ceteri igitur, cum ignominia repulsi, refugerunt. Nescio unde accidat, ut, post victoriam, pessima plerumque consilia audiantur, quæ ipsius victoriæ gloriam & utilitatem evertunt, ac perdunt. Cùm fractis hostibus, *Catholici* tollere animos deberent, ad colloquium cum hostibus descendūt; lati, & nihil ejusmodi expectantes, *hæretici*, vultu fiduciam mentientes, Civibus imperant, ut aut hæresin eorum sequantur, aut, meritò suæ virtutis salvi & incolumes, quò velint, excedant: efferant deinde, quidquid velint; si Urbe placeat exire, jurejurando promittere se nullum violatum iri. Id posterius, pessimo consilio, *Iaromirensibus* placuit, sed omnes hæreticorum Duces in conditiones jurarunt quàm promptissimè, & per honorem omni asseveratione sunt polliciti. Nihil apud *Tabornas* fide levius fuit. Exibant inertes *Iaromirenses*, rebus carissimis ferendis occupati, viri feminaque; hæretici, signo dato, in miserabile agmen incurrunt armati, spoliant, illudunt, cadent, & (quod gravissimum Virginum, Matronarumque pudori supplicium fuit) nudos nudasque, per castra circumductas, in *Albim* præcipitant. Senatui eum se honorem dare professi, primum

Fortitudo  
Blefforum  
Iaromirij.

Fides hære-  
ticorum.

jece.

fecerunt, cæteris cum contumelia dictum, pudori fore, si Senatam non sequerentur. Mox in eos, qui in Urbe remanserant, sævitum. In *e Arnesti Monasterio* unus & viginti debebant Canonici; hoste lento igne, ad lætæ exercituum spectaculum (membra morientium & ora, delicatâ crudelitate intuentes) incendunt, tum reliquam urbem totam spoliatam, super cadavera eorum, qui superfuert, iniiciunt & exurunt, omnibus elementis in miseros & credulos nimis *Catholicos* grassati.

Hic exitus celebris *Cænoby*, ejus hodiæque ruinæ, & substructiones miraculo sunt. Laudant, qui viderunt, ambitus quosdam subterraneos, & viam procul ducentem hodiæque mirantur. Redierunt *Jaromirium* post multum tempus *Canonici*, sed occupatâ ab hæreticis bonorum parte inopes vixere; deinde incendijs fortuitis, quibus illa Civitas, fato quodam, sapius concidit, ambugi, tandem, *Hussitis & Lutheranis* regnantibus, ad paucos redacti; fortassis etiam violentiâ vicinorum Nobilium, fortunarum suarum reliquijs exuti, omnino ex oculis amissi sunt.

## Notæ in Caput VI.

**P**ost Victoriâ pessima Consilia. *Notum est illud Maharbalis (si rectè memini) ad Annibalem: vincere scis Annibal, victoriâ uti nescis! Suggest etiam exempla seculum nostrum; quæ enim post victorias patrari potuissent! sepe fortunam nimiam consilium destituit. Fuerunt olim Duces, qui in victoriâ victoriâ perdiderunt; Jaromirenses, post tantam cladem hostibus illatam, si durâssent paululum, integram victoriâ reportâssent.*

**Canonicos lento igne incendunt.** *Pulcherrimum hoc Bohemia decus ignorant plurimi; videlicet: multitudinem eorum in Bohemia, qui pro Fide & Religione Catholica ab hæreticis sunt interfecti: quos licet Ecclesia nondum in Martyrum Album*

*Consule, quæ scripsi in Notis*

*Multitudo hominum in Bohemia pro fide Catholica peremptorum.*

Ensa Sylv.  
Præfat. in  
hif. Boh. ad  
Alfonsum  
Magnum.

Nota.

Album retulerit, tamen gloriosum semper Bohemæ genti apud prudentes erit, tot millia ex Bohemia fuisse, qui Religionem nostram sanguine consignarint. Non vanè existimo (idq. mecum plures, in historia Patria versati, sentiunt) plura quàm centum millia Sacerdotum, Religiosorum, Virginum, aliorumq. omnis conditionis, sexus, ætatis, Catholicorū Bohemorum ab hæreticis pro Fide caesorum, ab Anno 1412. usq. ad Vladislai Regis Regnū A. 1472. numerari posse. Incam sententiam Pius II. Pontifex de Bohemia scripsit: Viri constantes! qui vel carcerem, vel exilium, vel eadem pro testamento Christi fortiter pertulere, cum Rege suo in cælo regnant, ex aliena victoria triumphantes, quorum multa millia Bohemia tulit. Nam sicut Hussitarum infania Bohemicum nomen labefactavit, ita & fortium virorum Constantia illustravit. Nec Provincia est, quæ tempore nostro plures Christi Martyres, quàm Bohemia, produxerit. Inter quos Equitem fuisse non est ambiguum, nobilibus parentibus ortum, captum ab Hussitis, admotum ignibus, pedes primùm, deinde tibias, mox genua, coxasque, postremò reliquas corporis partes exuri passum potiùs, quàm illorum infantiæ consentiret, &c. *Hæc Pius Pontifex. Ex talibus exemplis nobile Vestigium Bohemiæ conficeretur.*

Eandem Majorum suorum fidelitatem renovarunt plurimi Bohemiæ Barones & Equites, in illo hæreticorum Regno A. 1618. qui Ferdinando II. Aug: Mem: fidissimi semper adhererunt.

**In Albim præcipitant.** Locus hodièq. Jaromirij monstratur præceps in flumen, & Catholicorum supplicij, ac præcipue Virginum (ut Hagek notat) mersione venerabilis.

Jaromirij  
frequentia  
incendia.

**Jaromirium incendijs sæpius concidit.** Mirum dictu! observant historici, Jaromirium, & Regino-Hradecium civitates, fœdissimis incendijs sæpiissime in cineres redactas, & interram datas. Vide quæ Hagek de Jaromirio A. 1423. tum A. 1448. & Paproczy in Civitatibus de Jaromiro, & Regino-hradecio scripsit, plurima utrobique enumerantur incendia.

Ambi-

Ambitus quosdam subterraneos. *Post hac scri-*

pta, anno superiore Jaromirium accessi, quodq; de subterraneis ambi-  
ribus scripseram. pauculis comitantibus amicis (nam locus vulgò igno-  
ratur) coram ipse spectavi. Mirabile ac regium Oprus, ac fortasse ab  
Arneſto (qui maximus edificator fuit) securitati Religioſe paratum.  
Altiſſimus in terram deſcenſus aperitur, ubi minimè putes; faces no-  
bis lumen prabere. Ad ſpatioſum deinde ambitum, ipſo Albi flumi-  
ne, qui præterlabitur, ac puto, demiffiorem, concamerationibus lapideis  
munitum pervenimus, jam vitium ſentire incipiunt junctura lapi-  
dum, ruentiſq; fornix viam alteriorem præcludit. Aiebant, qui ade-  
rant, quicq; id accepere à Majoribus, nominabantq; virum graviſſi-  
mum & doctiſſimum, mihi p̄uero notum, hunc ambitum omnem per-  
luſtraſſe, ac narraſſe, ad medium propè milliarium ambitum hunc  
extendi, ad Templum aſq; Zwolenſe; ad quod Templum quondam  
Coenobium Prædicatorum (ut authoritate manuſcriptorum Codi-  
cum probare poſſum) ſtetit, licet de hoc Coenobio Hagek in Catalogo  
Moſtaſteriorum nullum fecerit mentionem. Ex eo Prædicatorum  
Coenobio religioſos Fratres quatuor A. 1421. Jaromirij captos, Ziſka  
in Albiſ iniecit & merſit, ut ſcripſit F. Jacobus Sileſius, reliquis ſu-  
perſtes, idemq; diſertis verbis addit: ſe crudelitatem Ziſkæ, cum  
ceteri caperentur, effuſiſſe, & in ſubterraneo hoc ambitu diu de-  
lituiſſe; ſex ſubterranea hypocausta eſſe, & ſub terra uſque in  
Hradiſkam (ſic ille vocat) poſſe perveniri. Hac prædictus Jaco-  
bus; qua ex M. S. quodam Bibliothecæ Zwolenſis deſcripſi. Plu-  
rimos in ea vicinia ſenes (diſſimulato conſilio) rogavi: aadiſſent ne  
unquam de ſpecubus? reſponderunt omnes: ad Jaromirium, Ska-  
licium, Hradiſſium, ſe à Majoribus accepſiſſe, maximas eſſe cavitates  
terrarum, & milites armatos oculi poſſe, ſed jam locorum iſtorum  
cuniculos & vias ignorari. Hinc tandem dubium ſolvi poteſt, quod  
hactenus expeditum non eſt, & Patriæ hiſtoria curioſos fatigat.  
A. 1424. 6. Januarij (ait ex Hageko Adamus Roſacinus) Ziſka  
tendens ex Moravia, Skalicæ, poſt Jaromirium, Nobiles cunicu-  
larios, qui ex improvifo eum invaſerant, ex inſidijs eruptione

Gabrielem  
Szechinum.

factâ, dignè castigavit, & animosè profligavit. *Quinam isti Cunicularij fuerint, ex hac narratione mea facile curiosus Lector intelliget. Sed jam satis de tenebris; ad Arnesti lucem redeamus, vitamq; ejus virtutibus clarissimam latius contemplemur.*

A. 1350.  
A. 1361.

VENERABILIS Archiepiscopi  
tempore famis in pauperes benefi-  
centia, ac popularitas in  
omnes.

## CAPUT VII.

Fames cru-  
delissima.

Eam famem o-  
ptimè descri-  
psit Cuthenus  
A. 1361.

**A**bsolvi tandem, quod bene sit, ædificationes, quas, post Annum 1344. inchoatas, ad Annum 1360. deduxit, *Arnestus*; nunc lætiore stylo ad ordinem temporum revertor. Annum igitur 1360. & 61. magnam *Arnesto* misericordie materiâ suppeditavit, quibus annis, tanta per Bohemiam, agrorum sterilitate, fames exarsit, ut, quamvis in Patria ferace, & quam horreum Saxonie, Misnie, ac plurium regionum possis dicere, jam fœdi, & ab humano victu usque remoti gustarentur cibi; deinde cum neque isti sufficerent, ad indignissima quæque facinora prolapsi *Pauperes*, cæde viatorum, villarum & domorum, non nocturnâ, sed diurnâ etiam spoliatione, victum quærent. Accidit aliquando, ut *Cæsarem, ex Basilica Pragensis Ecclesia* redeuntem, mille quingenti circumstiterent; mox in humum prolapsi, miserabili spectaculo, non se nummos petere, sed vitam à Cæsare orare clamabant, panem dissonis, & semimortuis gemitibus iterabant, jam sibi parvisque liberis ac conjugibus fame pereundum. *Imperator* increpitis Proceribus, quòd rem tantam, quæ gereretur, pridem ad se non detulissent, publicam hanc tempestatem pulcherrimo consilio discussit, benignè appellatos  
miser-



miseros, jubet sequi, rectaque ad *Vrbis Pragensis* mœnia contendit. Ibi, cibo opportunè recreatis, laborem dividit: Alij fossas circum Urbem agerent, alij saxa molirentur, alij arenam & calcem subigerent, alij cœmenta veherent, tantusque egentium populus affluxit, ut hoc biennio, quæ alijs viginti annis absolvi non potuissent, multitudine hominum, & exercitibus pauperum adjuvantibus, sint perfectæ. His omnibus *Cæsar* optimus, & Patriæ Pater, pro nummis pretio nihil imminuto, quasi fames nulla esset, panes quotidie adnumerabat, eosque domum suam esse, & familiam, quam alendam haberet, jucundè solebat appellare. Ita multis hominum milibus, totiq; *Praga* subventum. At *Arnestus*, qui se ad pauperes adjuvandos Archiepiscopum factum credebat, velut si universa arderet *Bohemia* (cùm ipse divinâ Charitate incensus esset) circumcursare Civitates, præsto omnibus esse, ubi maximè laboraretur, accurrere. Sequebatur plurimi currus onusti panibus & frumento (aliquando etiam piscibus) jubebat famulos in foro Urbium stare, & quæ advexerant, liberaliter dividere. Sæpe etiam, cognito agrotorum periculo, domos Civium adire, pauperes quærere, atque in futuram famem armare. Domini mores imitabatur familia, usq; rerum istiusmodi perpetuò alluefacti, eruditiores alijs in hoc genere, famuli Archiepiscopi habebantur. *A. D.* 1362. dum sevirer caristia in *Bohemia*, ait vetustissimus vitæ scriptor, in tantum, ut pauperes multi fame morerentur, *Arnestus* magnas panis & frumenti fecit eleemosynas, quibus Pauperes, Civitates, \* villas, & oppida, sustentationis presidio cibarentur. Imitatur hæc divitem *Arnesti* I. misericordiam *Eminentissimus*, *Nominis*, Virtutis ac dignitatis hæres, *Ernestus* II. Archiepiscopus *Pragensis*, ante cujus domum (quod ipsi vidimus) multæ Pauperum centuriæ sedere solent, nemo enim abire indonatus. De qua Præfulis maximi liberalitate, Epigrammate lusit olim aliquis ex tribu Poëtarum.

*Arnesti in fame studia & occupationes.*

*M. S. Vitis*

\* forte: villas.

*Pauper ubiq; jacet, sed ad atria grædia magni  
Præfulis Ernesti, pauper ubiq; sedet.*

N R 2

Do-

Florus l. 1.  
Breviarij  
C. 13.

Arneſtus oc-  
cultos pau-  
peres magis  
adjuvabat.

Id. S. Vita.

Domus illa Optimi Præſulis, ad quam ſe fame pulſi recipiunt, Arx quædam eſſe videtur. Ex Capitolina arcæ quondam, in ſpeciem fiducia, *Manlius Panes* in hoſtem eſt jacularus; in Domo Archiepiſcopali, fiducia virtutis & Charitatis, Eleemoſyna in pauperes jaçtatur. Sed nos ad *Arneſtum* veterem revolvi par eſt. Præcipuam verò eorum curam ſemper geſſit *Arneſtus I.* (ut vita Scriptor ſignificat) quibus ultra paupertatem & famem, fama etiam eſt tuenda, ne pauperes videantur. Ad ejuſmodi fortuna homines plura, quàm apertè ſoleret, præſidia nummorũ ſubmittebat, quòd & pretioſior beneficentia, & ſibi tutior virtus eſſet, quæ, uno teſte Deo, pauciſque aulicis conſcijs, patratur. Habebat enim certos domi Prælatos, quibus unum illud curæ: nobilem paupertatem pecunijs, ab Archiepiſcopo ſubminiſtratis, adjuvare; quam ob rem vitæ Scriptor vetuſtus *Arneſtus S. Nicolao Myrenſi* legitur comparâſſe. Commendant hanc *Arneſti* in miſeros liberalitatem monumenta M. S. omnia: ſed cùm nihilominus pelli fames, inopiã panis crescente, non poſſet, Piſcinas ſuas, quas nuper magno operæ pretio effoderat, aperiri demittique Arneſtus juſſit, *ex iſſq.*, ut ait vitæ Scriptor, *piſces omnes pro amore DEI pauperibus donavit.* Hanc penè regiam liberalitatem periti piſcinarum noſtratum facile æſtimabunt.

## Notæ in Caput VII.

De Bohemiæ  
fecunditate  
teſtimonia  
ſæcularium.

**B**ohemia horreum Miſniæ, &c. De hac Bohemiæ fecunditate, & terra laudibus multi ſcripſere. Noſtros Scriptorum prætereo (nè quis amore Patriæ occupatos dicat) vide quæ Hieronymus Balbus I. C. Italus de Bohemia verſibus cecinit; Item Julius Solimanus S. I. Oratione duplici, qua Praga edita eſt, de Ingenio Bohemorum; in quibus hanc quoque Bohemiæ dotem expoſuit. Vide Petr. Bertium Hollandum in Tab. Geogr. Mercatorem in Atlante. Bucellinus Ord. S. Benediçti in Tab. Boh. ſic loquitur; Bohemiæ nihil aliud præter ſalem deſſe, ajunt; atqui ſal inge-

ingenijs non deest, &c. Gaspar Dornavius *Silesius* in Principe Juventutis: Germaniæ, *inquit*, delictum & corona Bohemia est. Hercyniâ sylvâ, quasi nativo muro, amphitheatri facie cincta undique & munita: Regio sanè, ut ut flatibus Aquilonaribus obnoxia, cœloque plusculum rigido, adeò tamen opima, salubris, amœna, ut paria facere cum præclarissimis regnis ausit. Cùm enim, solenni aliàs naturæ lege, non omnis ferat omnia tellus, soli in Bohemia benignitas tanta est, quanta & illi & vicinæ sufficiat, copiosissimis tum jumentis, ferisque, tum plantis ac frugibus, hordeo triticoque producendis, cujus sæpe immensæ ruperunt horrea messes.

*Plura ex eodem Dornavio viro doctissimo (ut ejus omnes libri indicant,) describere nolo, quia hæc non faciunt. Declarant hanc fertilitatem Bohemia tanti exterorum in Bohemia proximis annis accessus, ut his jam omnia compleantur.*

**Fossas circum Urbem, &c.** *Mœnia Praga Memoris per Montem S. Laurentij ducta hoc tempore fuere, quod Caroli opus Dubravius in historia reprehendit, atq;: nimio magnificentie studio ad hæc supervacanea progressum. Huic accusationi facile ipsum, quo condita mœnia sunt, tempus respondet; quo enim alio opere tanta famentium multitudo subito teneri potuisset? deinde negant Munitionum periti inutiliter in urbem hunc Montem acceptum, ex quo nimirum (si cinctus non esset & indefensus) hostes in Vrbes Novam, Veterem & Parvam dominarentur; quod vidit Magnus Dux Waldstainius, eaq; parte Saxonibus, qui Urbem tenebant, depulsis Pragam obtinuit.*

Mœnia S.  
Laurentij  
Pragæ non  
sunt super-  
vacua.

L. 22. Hist. Bohem.

**Pisces omnes pauperibus donavit, &c.** *Arnesti liberalitas hæc fuit. Nam cùm Arnestus, in tantis suis, & Archiepiscopalibus ditionibus, plures quàm mille insignes magnitudine piscinas haberet, quarum singula multis piscium grandiorum (ut Carpionum & Luciorum, &c.) millibus implentur; apparet eum multis hominum millibus, multo tempore alendis suffecisse.*

Arnesti liberalitas.

Arnestus admissum à Pragensibus crimen, in Pauperum solatium, & famis remedium vertit: cum Pragensibus mitissimè colloquitur.

## CAPUT VIII.

Pontanus l. 2.  
Bohemia Pia.

Hagek Anno  
1361.

Crimen à Senatu Pragensi admissum.

**A**ccidit inter hæc res, scelere tristis, at exitu læta, quæ (si unum crimen abfuisset) nihil optabilius pauperi populo evenire poterat. *Martinus* quidam *Pragensis Ecclesiæ Capellanus*, *Praga* ortus, vir à pietate & virtutibus notissimus, in Curiam antiquæ Urbis *Pragensis* reverenter ingressus, pecuniam quandam sibi à Patre, cujus unicus hæres foret, relictam, & in Curia, (ut mos est) repositam repetebat. *Senatus* (instigante forsitan uno aliquo, qui ad pecuniam oculum animumque adjecerat) durè primùm *Sacerdoti* respondet, deinde cum is Justitiam suam perseveraret defendere, quasi *Senatus* auctoritatem læsisset, è vestigio è conspectu hominem in carcerem rapi jubent. Tum, consultante Senatu, quid agendum esset, eodem furore sententiarum damnatur. Igitur manè primò, ut conscientiam Viatorum antevenirent, ad *Pontem Pragensem* trahitur, & vinculus in flumen *Moldavam* abjicitur & mergitur. Innumeris exemplis conperitum est, nullam facile innocentis sædem impunè patrari & latere posse. Continuo res ad *Archiepiscopum Arnestum* defertur, is omnes cædis conscios anathemate pro potestate ferit, simul *Carolo Casari*, per id tempus, pestilentia metu, *Noribergæ* agenti, quid fieri placeret, ostendit. *Pragenses*, cum proditum crimen viderent, *Casaris* iram veriti, citatis Equis Legatos *Romam* propere mittunt, & quid egissent, quid timerent, *Innocentio Summo Pontifici* significant,

ficant, crimen agnoscunt, supplicat, nihilque, quod misericordiam provocaret, omittunt. Flexus precibus Pontifex, dat ad *Arnestum* litteras, admonetque, ut poenam, quae videretur, contentus, de caetero *Formula Apostolorum Petri & Pauli* meminisset; id Pragensium Legatorum apud se preces, id dolorem intimum meruisse. Legati Romam Pragam omni, quam poterant, celeritate reversi, duram, quae a Caesare & Archiepiscopo narrabatur, sententiam, praevenerunt. Traditis *Arnesto* Summi Pontificis mandatis, cum eadem omnia, quae *Roma*, *Praga* quoque iterarent, tandem ad optimum Praesulem cunctus Senatus, summam poenitentiae significatione, venit; veniam supplices petunt, obsecrant, ad poenam se suamque offerunt; eos *Arnestus* in hunc modum alloquitur: *Filioli mei charissimi, atrox a vobis facinus editum est, & majus sine dubio, quam ut breves hujus vitae poena vos possint absolvere, nisi iram divinam & infinitam justitiam, infinita DEI misericordia, respiciens in faciem Christi sui, finire soleret. At ego haec omnia accusationi vestrae, & conscientiae relinquo, id unum ex vobis audire cupio: quae vos tandem ratio, quae vis, quod crimen, ad inferendam sancto huic viro & Sacerdoti, tam horridam cadem, & perpetrandum tantum facinus adduxerit? Illi provoluti in genua: Venerabilis Pater (respondent) Deum, qui animum, & in eo cogitationes nostras videt, testamur! eam tum criminis speciem nobis objectam, ut nihil dubitaremus mortem meruisse; at nunc manifesta viri innocentia, nostrumque nobis scelus occurrat. Ad haec Antistes: Filioli! mali demonis praestigia, nisi diligenter, quod rectum est, pervideas, judicia humana saepe pervertunt, cujus demonis crudelitas maxime in innocentes & sanctos, solet grassari, latissimumque ducit innocentiam opprimere & damnare; haec sunt illius epulae, hoc regium convivium putat. Is vos, filioli, sine dubio ad ferendam injustam illam sententiam incitavit. Itaque dum tempus est misericordiae, praevenerite Iustitiam in confessione, ne vos ira divina gladius, qui malos sequitur, comprehendat. At rursus Pragenses: Misericors & optime Pater! poenam, quam irrogaveris, volentes, lubentes sustinebimus. Satis scimus cor paternum tuum, & corde tuo placato, cor quoque divinum, poenitentiam posse placari. *Arnestus* contra: *Elemosynis*, inquit,*

Pragensis Senatus absol-  
vitur ab *Ar-*  
*nesto* certam  
poenam pro  
crimine im-  
positam.

quit, redimi peccata sacra littera nos admonent: hoc exemplum in hac publica, quâ DEVS nos inobedientes filios flagellat, calamitate, valeat, quid præsens rerum status à vobis exposcat, facile ipsi videatis. Si pœna modum scire placet, septem millia saccorum frumenti impetro, quod in egentissimos quosq; in urbe vestra dividetis. Illi optimi Præfulis voluntate perspectâ, Anathemate exfoluti, continuo, missis in Moraviam quibusdam Civibus, eam frumenti vim Pragæ advexere, quâ plurimi mortales, fame perituri, sunt servati. Colloquium hoc adduxi, ut ex eo prioris sæculi auream simplicitatem, *Arnesti* paternum in suos animum, non indulgentem, non mollem, sed in severitate sententiæ dulcem & misericordem intelligamus. Fuit verò hæc grandior pecuniæ & frumenti vis, quàm ignarus aliquis locorum, ac temporum possit existimare.

Fertilitas  
post famem,

*Euthymus An.*  
13. 6. 2.

At cessantibus noxis, Deoque dolore, & bonorum precibus placato, steriles annos tam copiosa tamque dives per *Bohemiæ* messis anno tertio excepit, ut, cum antè frumenti saccus triginta argenteis grossis, postea uno grosso (quod ut miraculum meritò prædicant historiæ) publicè in foro *Pragensi* venderetur; celsitq; ea frumenti vilitas in *Sacerdotis* occisi gloriam, namque eum de celo messes tam beatas impetrâsse, publico præconio *Populus* affirmavit.

## Notæ in Caput VIII.

In Ponte  
Pragensi Iu-  
stitiæ simula-  
crum.

**I**N flumen *Muldavam* abijcitur. In ponte *Pragensi* suppliciorum locus fuit, cui *Crux* è regione, opere & arte visenda prætenditur; ubi etiam simulacrum armatæ *Iustitiæ* stetitisse narratur. Erant etiam plura alia hujus Pontis (quo firmiorem alterum in *Europa* inveniri negat *Gerardus Mercator*) ornamenta, quæ injurijs temporum, & tot prælijs in ipso *Pragensi* ponte commissis, maxime in *Passaviensi* & *Saxonico* conciderunt, inter quæ *Statua* *Equestris Regis Georgij*, aliæque.

Nul-

Homicidia  
admittunt  
non facile  
occultatur

L. 3. Antbol.  
C. 6. 2.

Alij nume-  
rant tria  
millia aure-  
orū & quin-  
gentos.

Nullam cædem occultari. Nostra & Majorum tempora plena sunt exemplis; ut in cadibus prodendis singulariter DEI providentia laborare videatur. Adcò ex minimis saepe argumentis ingentes scelerum apparatus, glomeris instar, capto parvo sili initio, legimus evolutos. Exempla quàm plurima multis titulis attulit Zwingerus in Theatro vita humane, & qui cum secutus est Beyerlinck. In Anthologia Græcorum casus viator latronem sic alloquitur: licet me sepelias, tanquam nemine vidente, oculus Justitiæ videt omnia, quæ fiunt! Nobile, quale unquam legerim, exemplum homicidæ, uno dicto fortuito proditi & periti refert Polydorus Verg. l. 8. de rerum Inventoribus, de Godwino Comite Cantianorum. Huc quoq; trahunt nonnulli sanguinem, veniente homicidâ, ab occiso manantem, qua de re scripsit eruditè Hieron. Magius in Miscellan. l. 3. C. 5. omniumq; subtilissimè Kircherus in Magnetismo.

Grandis pecuniæ & frumenti vis, Facile id intelliget, qui ejus temporis Monetam examinârit, de qua Stransky in Rep. Bejem. Fuit verò siliginis saccus, famis tempore, 30. grossis; id est sexaginta ferè grossis hodiernis, adeòq; uno aureo. Septem igitur aureorum millia expendere oportuerat; nisi è Moravia, ubi viliorè tum pretio, frumentum petissent; summa grandis pecuniæ, eâ etate, nondum apertis navigatione Indijs. Frumenti saccus seu modius (Rösek vel Strich) 4. mensuras ingentes complectitur, adeò ut ex una ejusmodi mensura commode, præcipuè famis tempore, sustentari robustus vir duabus hebdomadis possit; ex modio enim 130. libras panis piftores semper exspectant.



Oo

Arne-

Arnestus Rosensibus Dynastis  
 peramicus, pias eorum fundationes  
 approbat; novo ipse honore Statuam  
 DEI Matris Glacij, quam à puero ama-  
 verat, item Parochiale Templum ibi-  
 dem exornat, cujus Templi Glo-  
 ria breviter indicatur.

## CAPUT IX.

Arnestus Ro-  
 senles Pro-  
 cures mul-  
 tùm amat.

**R**osensium, seu *Rosenbergicorum Procerum*, magnum semper apud vicinas remotasque gentes nomen, magna gloria fuit; & sanè meruere famam (uno forsitan alterove excepto) viri pietate, armis, opibus, cognationibus Regum & Electorum, dignitatibusque summis insignes, ac præcipuo in Patriam amore, atque ante omnia, *Catholica Religionis studio* præstantes, ut quot Nomina, totidem masculæ virtutes fuisse videantur. Sed earum Virtutum exempla pulcherrima alibi, si vita suppetet, adferentur. Hanc gentem *Rosarum* multùm ab *Arnesto* amatam, multis documentis probari poterat; caput illud est, quòd spiritualibus magnisque Privilegijs eorum ditiones ornavit. Vidi vetustissimas in Archivo Novodomensi litteras, ab *Arnesto*, plenas favorum & gratiarum, ex quibus unum illud memoriâ teneo, properanter (ita enim oportebat) à me lectum; omnibus *Rosenbergicorum* & Novodomæorum Procerum Clericis, ab *Arnesto* testandi facultatem plenissimam concedi. Ma-  
 gnus



gnum id ab *Arnesto* beneficiū, qui nuper in *Statutis* Ecclesie, Clericos testari non posse decreverat, suaque decreta tueri, constantiam esse putabat. Nimirum amabat pius Præful *Rosenium* Procerum pietatem, oprabatque eorum ditiones (præcipue *Crumloviensem*, ubi ad S. Viti Templum parvam quandam *Metropolitana* Ecclesiam habebant, ac *Pragensem* S. *Vitum* imitabantur) Sacerdotibus, hoc præmio invitatis, abundare. A. 1358. *Fratres Rosenbergici Petrus, Iodocus & Ioannes* Capellam quandam in *Bohemicæ* erigunt; Item A. 1360. aliam *Mura*; utramque, laudatis fundatoribus, *Arnestus* gratosè confirmat, recitatque eas litteras *Papæ*, cuius liber nunc non est ad manum. Ad notio-

Tria occultari nunquam satis posse proverbio dicimus: *Tissim, ignem, & amorem*; id postremum de *Amore* in *Arnesto* hoc tempore probatum: qui etsi alias sequi curas, alia agere videretur, tamen, quasi occultè & per cuniculos, relegebatur identidem primi amoris iter, ad eamque redibat, quæ semel placuisset. Nihil tenaciùs animis infigitur, quàm primus amor, atque ut in aurea, arcæve tabellâ, quæ prima incideris, abolere, nisi cum tabulæ nocumento, non possis; sic in animum prima vulnera descendunt, ut vix, ac nè vix quidè, possint sanari. *Amoris vulnus* (ait ille) *idem, qui sanat, facit*. Quàm amanter *divina Muris* in se meritis *Arnestus Glacii* responderit, jam pridem narrasse memini; adjeceram *Fundationem* illam *Nobilem*, quam ante ejus amabilem *Glacii* Statuam, æternitatem quandam animo ferens, censibus æternis stabiliverat; nunc, quia res tota Anno 1362. (in quo nunc sumus) confecta est, quæ omnia ibi sunt, pertexam, atque obiter veterem Templi *Glacensis* gloriam indicabo. Alebatur in Parochiæ Templo, ex *Arnesti* liberali ac perpetua *fundatione*, *Sacerdos* ultra numerum, & *quatuor Clerici Sæculares*, omnesque sat commodè tractabantur. Horum munus, Sacrum DEO omnipotenti, ob æternam Matris gloriam, manè primo sub *Auroram*, & verè *Sacrificium Matutinum* offerre, & canere. Vigilantibus non *Justitia* modò, sed multò etiam magis *miseri cordia* favet. Mirum DEI favorem ea in re licet intueri!

Papæ. in Rosenibus.

Forer. in Vindario Philosophico.

Amor primus profundissimè in animum descendit.

P. Syrus in Mimis.

In Glacensi templo multæ fundationes, quas hæretici sustulerunt.

De sacro Ar-  
nesti matu-  
rino.

Dir. dor. Pra-  
fecti Templi  
Glacens.

Alur. in  
Glaciogr. l. 1. p.  
6. 1.

Nec hæreticis quidem temporibus eam pietatem intermissam, ad nostra usq; tempora, jam inde à trecentis annis deducitur. Quotidie, nunc quoque, cantatum *Sacrum de Beata Virgine*, Tono quem *Choralem* vocant, ante *Divæ Statuam*, peragitur, cui Antiphonam *Salve Regina*, ex institutione *Arnesti*, præmittunt; simul cerea fax ad ejus sepulchrum accenditur, quæ ab eo, ad cujus tumulum vigilat ignis, etiam post mortem, Cœli & terræ Reginam Virginem adorari significat. *Conventuale*, ut vocant, id Sacrum meritò habetur; ideòque hymnus Angelicus *Gloria in excelsis* cantatur, cui ex veteri *S. Pragensis Ecclesiæ Rubrica*, verba illa, ab *Arnesto* addita: Tu solus Sanctus (*Mariam sanctificans*) Tu solus Dominus (*Mariam gubernans*) Tu solus altissimus (*Mariam coronans*) Jesu Christe! inferuntur. Hodie ad Cantum Choralem, ad augendam divinæ Matris gloriam, *Organum Musicum* adijciunt, ut Sacerdos, Musicique respirent. *Fax cerea* ad sepulchrum sex librarum est, quæ nova semper ac recens, præcipuis quatuor Divæ Virginis solennitatibus, *Nativitate*, *Annuntiatione*, *Purificatione*, *Assumptione* apponitur. *Salve Regina*, quod præmitti dixeram, majore apparatu Sabbathis omnibus per annum cantatur, crediturque vel ideo *Arnesto* hæc Oratio placuisse, quòd, dum ea caneretur, *Virgo Beatissima* iratam se puero aversa ostendit, mox placatam, dum respexit. Addidit hoc quoque pro coronide *Arnestus*, & *Templum Glacense* amplificari, ornarique jussit. Suspicio etiam est, *Turrim veterem* Templo adjecisse, deinde Sanctorum corporum Reliquijs illatis, auctaque monilibus Divæ Virginis Statuam, quam vivens novis inventis honorarat, eandem moriens seipso, id est suo corpore, ante ejus imaginem ultimam voluntate locato, donavit. Tanti Præsulis exemplo, & hæc, quam dixi, Templi gloriam plurimi Mortales adducti, magnam pietatem *Templum* hoc, ex remotis quoque regionibus, adibant, tum Statuam miraculo celebrem, tum *Arnesti sepulchrum*, tum *Sanctorum Reliquias* visuri. Eò denique gloriæ ac celebritatis Templum hoc Glacense, aureis illis Catholicorum sæculis, pervenerat, ut, quod rarum ac præcipuum Templorum decus est, propter solennem illam

lam de B. Virgine Missam; quinque aliæ, ad diversa Sanctorum honori statuta altaria, præsentè piorum pecuniâ fundatæ, quotidie legerentur; alerenturque sex perpetuò Sacerdotes, divinis rebus in Templo peragendis occupati; donec hæresis ab Orco nata, omnem hanc veterem pietatem abolevit; tantumque *Glacensis* populus à Majorum virtute desciverat, ut A. 1604. in ipso hoc Templo, in Catholicorum Peregrinorum innocium par, quòd *Dive Virginis Rosarium*, ut vocamus, explicuissent, velut atroci admisso crimine, populus universus consurrexerit, ad necem quaesiverit, alterumque ex ijs crudelissimè necarit. Hodie rursus *Glacensis Populi* pietatem vix explices; ita illa ingenia, in quam se partem dederint, incumbunt! De *Templi Glacensis* antiquitatibus adferentur quædam in *Notis*.

## Notæ in Caput IX.

**Æ**ternitatem quandam animo ferebat Æternitas, si fieri posset, operibus bonis addenda.  
**Arnestus.** *Ijs videlicet ad Divinam gloriam facinoribus oblectari solitus, qua longissimo, et, si fieri posset, æterno tempore durarent. Id adeò ipse, in libro MARIALI suo, Divinam Virginem amasse scripsit; nam cum ejus lectulum ex proverbiorum C. 31. describit: funes, inquit, byssini circulis eburneis inserti erant; id est, cogitationibus de æternis, quia semper B. Virgo annos æternos in mente habebat, quod in circulo denotatur.*

In Psalterio B. V. C. 102.

Templi Glacensis brevis historia.

Origo.

Hagck A. 995.

L. 3. Glaciogr. C. 3. scilicet 1.

Titulus.

**Quinque aliæ Missæ quotidie legerentur.** Adferam hoc loco quasdam Templi Glacensis antiquitates. Id primum scire oportet, neq; Templi Fundatorè, neq; annum, quo S. Joannis Equites Glacium advenerint, in historijs inveniri. Suspicio olim in eo loco S. Petri Templum stetisse, quod S. Adalbertus, cum Poloniam è Bohemia peteret, adierit. De nomine Templi questionem injevit Prædicans Lutheranus Elurius, qui illud S. Joanni Baptistæ dedicatum scripsit. Infelix semini verbius! Virgini Beatissima Templum,

O o 3

quasi

L. 3. Glaciogr.

Decimæ  
Templi.Altaria fun-  
data & dota-  
ta sex.

Iv

II.

III. IV.

V.

VI.

quasi aliud agens, tentavit erigere! quisnam autem melius id scire potuit, quam Archiepiscopus Arnestus, qui Templum hoc Divæ Virginis in visione sua nominavit? quam visionem ipsemet, sui immemor, recitat. Alurius. Omnes certè, quascunq; vidi in Manuscriptis Codicibus ac litteris, memoria, Templum Gloriosæ Virginis, ut illa secula vocabant, seu Assumptionis, agnoscunt. Fateor, vulgi errore fieri potuisse, ut perpetuo hæreticorum in DEI Matrem odio, à S. Joannis Baptistæ Equitibus, appellatio ad Templum transferretur.

A. 1291. Wencellaus Rex Bohemia (cujus litteras Calendis Augusti datas vidi) decimas quasdam Ecclesie Parochiali B. V. MARIE in Glatz, Domni Hospitali S. Joannis Hierosolymitani donavit: easdem decimas A. 1321. Dominicâ Quasi modo geniti confirmat, augèq; Henricus Dux Silesiæ & Wratislaviæ; littera ad F. Henricum de Praga Commendatorem Domus in Glatz mittuntur. Sex Altaria data in hac Ecclesia invenio in M. scriptis originalibus, sigillis & obligationibus suis ad perpetuitatem firmata, ad quæ Altaria quotidie divina peragebantur. A. 1300. 4. Cal. Febr. Altare omnium Sanctorum fundavit Henricus de Beringen; idem bona sua in Werdek donavit, ex quibus obligabantur Crucigeri vinum ad Sacrificia subministrare quatuor Glacensibus Ecclesijs: Parochiali suæ, Capellæ Castri Glacensis, Templo S. Wencellai Bohemorum, & Hospitali.

A. 1316. in Vigilia Epiphania Hinko Berka de Duba testatur, Theodoricum militem suum promississe & numerasse Domui Glacensi Fratrum Ordinis S. Joannis quadraginta marcas argenti graves. Item altari S. Catharinæ dotem signasse, pro Sacro quotidiano quatuor marcas annuas. A. 1322. die post Ascensionem Domini, Joannes de Maltevicz duo altaria in Templo B. Virginis Glacis liberalissime fundat: alterum S. Martino Episcopo, alterum S. Stephano Protomartyri. A. 1342. Calend. Aprilis Mathæus miles, id est, Eques (aliud nihil additur) Altare S. Laurentij dotavit, assignatis in perpetuum quinq; marcis, minus dimidio fertone, pro Sacro quotidie legendo.

Sextum, idq; summum Altare Beatissimæ Virginis dotavit Arnestus, ut pridem ostendi. Videat Lector ex his pauculis unius Tem-  
pli

pli monumentis, quàm immensa cupiditate ad Cultum Divinum, & præcipuè ad Templum ornanda, & ditanda Majores nostri raperentur.

**Templum hoc Beatissimæ Virginis pulcherrimum**, eorum potissimum auxilio surrexit, quorum in fornicibus præfert insignia. Est in eo Sacellum S. Jacobi Apostoli A. 1503. ab Equitibus Rhodijs conditum, quod Peregrini, Compostellâ reduces, frequenter adibant. Multi insignes viri in hoc templo sepulchrum invenerunt: nam, ut Arnestum alièsq, deinde sæculo nostro, præteream, in area tabula, inter Altare & Arnesti tumulum, hæc leguntur: Illustrissimus Princeps ac Dominus Dñs Henricus Senior S. R. I. Princeps, Dux Monsterbergensis in Silesia, Olsnensis, Comes Glacensis, & Serenissimi Bohemæ Regis Georgij filius, ex veteri Familia Comitum de Berneck & Nida, nunc Dominorum de Cunstadt & Podiebrad oriundus, obiit A. D. 1498. die S. Joannis Baptistæ, & sepultus primùm in Monasterio Fratrum Bernard: in suburbio Glacensi, unà cum Fratribus suis Victorino, Henrico juniore, & Petschkone, & Filijs suis Alberto, Joanne & Ludovico, & filia Zdena, & conjugè Victorini Palæologina, quæ fuit ex stirpe Imperatorum Constantinopolitanorum: Horum ossa post annos 60. An. sc. 1558. per Nepotes Joachimum, & Joannem, Illustr: Ducis Caroli filios, translata sunt, & hîc in domino condita. Ibidem jacet Ursula, Principis Alberti Marchionis Brandenburg. Electoris filia. D. Henrici senioris Ducis Monsterbergensis Conjunx; obiit A. 1508. 25. Novembris, & in Monasterio Virginum S. Claræ Wratisla: in ambulacro sepulta fuit. *Huc usq, Epitaphium.*

In hujus Ecclesie Turri visitur Campana, magnitudine insignis, & paucis per has regiones cessura: 109. Centenarios aequat pondere, ut notaverunt Majores; A. 1499. Bruna fusa, & Beatissimæ Virginî à Regis Georgij filijs donata, qui Catholicam Religionem sequebantur ex animo, quòd pessum dederat Pater, si possent, restituere cupiebant.

Magno Catholicorum dolore, Hæreticis Lutheranis hoc Templum B. Virginis concedi debuit, ut sua in eo profana Sacra celebrarent;

Templum  
Glacense Pe-  
regrini Com-  
postellani &  
Polonia, &c.  
visabant.

Sepulchra in  
Templo.

Hæretici  
hoc Templum  
occupant.

De S. VVenceslai Templo, in cuius area, uti & Beatissimæ Virginis, Arcis Glacensis stant propugnacula.

L. 3. Glaciogr. c. 3. sect. 1.

M. S. Relatio.

Catholici Poloni peregrini czduntur.

rent; in Capella tamen S. Jacobi Catholici Sacrum poterant audire. Legi Conventionem inter Catholicos, & hereticos A. 1591. 11. Sept. confectam: subscriptus est Mathæus Leopoldus Popel de Lobkovicz in Strakonice, S. Ioannis Hierosolymitani Prior in Regno Bohemie; tum heretici: Melchior de Reehberg Capitaneus Glacensis, Henricus de Raczin, David Czirnhaus, Petrus Haugviczius. At S. Wenceslai Templum Bohemicum dimittere ex manibus Catholicis noluerunt; quâ fortè invidiâ accensi heretici, per causam munierda arcis, eam Ecclesiam post A. 1618. funditus diruerunt. Ad hoc S. Wenceslai Templum undecim Pagi referebantur, quos recenset Ælurius.

### Catholicorum Peregrinorum pars. Res sic accidit.

A. 1604. Dominicâ 20. post Trinitatem, duo Peregrini, Compostellâ in Patriam Poloniam redeuntes, Glacium accessere; nesciebant miseri Catholicam Religionem pro crimine Glacii haberi; ingressi Parochiale Divæ Virginis Templum eo ipso tempore, quo Lutheranus Predicans phylacteria, ut solent, jactabat, & dicebat, ad Populum. Ergo terra, Catholico ritu, advoluti, flexog genu, globulis precatoris explicatis, DEI Matrem orabant. Advertit ea impietas (ita enim interpretabantur) hereticos, sit confurrectio. Notavere truces oculos Peregrini pauperes, & simul se Templo eiciunt: statim populus clamorem rabidum tollit, atq; insequitur. Adamus Markowsky Polonus Nobilis à furente plebe miserum in modum obruncatur; Peregrinus alter, etsi graviter saucius, evadit. Rei in carceres coniecti & examinati, cum certus cadis Author inveniri non posset, heretici ab hereticis Iudicibus absolvuntur, & anno demum 1611.

2. May, Brigenfis Ducis precibus, dimittuntur incolantes.

Arne-

Arnestus Carolo Cæsari viduo  
 novi Conjugij Author est; quo maxi-  
 mum bellum sedatur. Wenceslaum<sup>A. 1344 & 1346.</sup>  
 ejus filium diu, præfagio quodam,  
 recusat coronare.

## CAPUT X.

**T**ot in Regnis Jura, tot fœdera tuenda sunt, tot tantæq;  
 temporum vicissitudines incidunt, ut ad bella gerenda,  
 etiam optimi, & pacis amantissimi *Principes*, necessitate  
 temporum adducti, cogantur aliquando descendere. Sed confi-  
 lio prius omnia, quàm armis, experiri sapientem decet. Nam si  
 in discrimen res privatas & certas conijcere parùm sapientis esse  
 putamus; quantò minùs Rempubicam, decus regium, honorem  
 ac famam, ipsamque vitam, & quidquid Majores rei & spei nobis  
 reliquerunt, quasi signum bello proponere, & fortunæ temeritatì  
 subjicere, turpe in prudentiam peccatum debet videri. Nemo un-  
 quam aleæ tam amans, qui uni jactui Fortunas suas omnes, vitam  
 & famam committat. Idem jactus in bellis; nec abs re *alea belli*  
 nominatur, in quo si quid vel leviter titubatum sit, ruina est, &  
 bis peccare non licet. Quantum hîc fortuna & casus dominetur,  
 maximi bello Duces ad extremum senserunt: victi, capti, cæsi,  
 unâ clade priores omnes victorias amiserunt. Mordebat id tem-  
 poris vicinos quosdam Reges *Silesia*, Bohemiæ Regno adjecta (id  
 ultro, voluntate sigillatim ipsorum *Silesiæ* Principum, factum esse,  
 ex publicis singulorum Instrumentis, quæ latè recitat & præ-  
 bat

P p

bat

Schickfusius in  
Annal. Siles.  
lib. 2. c. 1. &  
seqq. & l. 7.  
C. 26. Renun-  
ciatio Regis Po-  
lonie authenti-  
ca super Silesi-  
am.

Conjugio  
maximum  
bellum seda-  
tur.

Rayn. T. XVI.  
Annal. Anno  
1364.

Cuthenus Au.  
1361. & 1362.

Nuptiæ Ca-  
xpli.

Cromerus &  
Ducius, Mic-  
chovius lib. 4.  
Cap. 21. vide  
Schickfus. l. 1.  
Annal. Siles.  
C. 20.

bat *Schickfusius*, liquidò cognoscitur) ergo aliorum incrementa suum esse damnatum rati, & vetustate obtendentes in Silesiam jura, insuper *Cæsaris Caroli* verbis quibusdam in contumeliam acceptis, arma nimirum circumspectabant. Odoratus est hæc sagaciter Archiepiscopus *Arnestus*, properèque Pontificem Romanum admonuit, omni ope, nè Christiana arma in se verterentur, providendum esse: unum se videre *Conjugium*, quo omnia possint componi; at se partibus componendis impari; *Carolus* (etsi jam bellum pararet) credere in potestate futurum; reliqua apud *Reges Polonie*, & qui ei adessent *Vngaria & Dania*, per alios facienda videri. Intellecto periculo statim *Arnesti* consilium secutus *Vrbani Pontifex*, Legatum ad Reges destinat *Petrum Episcopum Florentinum*, Virum prudentiæ laude insignem; breviq; hinc *Arnesto*, inde Legato agentibus, *Elisabeth neptis Casimiri Regis Polonie* (qui ultimus è *Piasti* gente Polonis imperavit) *Carolo Cæsari* desponsatur. Accessit *Cracoviam* Sponsæ gratiâ *Cæsar*, ibique Legato agente, fœdera sancita, quæ postea, jam mortuo *Arnesto*, A. 1370. rupta, in bellum cruentum desijissent, nisi *Casimiro*, in ipso belli apparatu mortuo, bellum quodammodo mortuum ac sepultum fuisset. Interfuere hisce nuptijs quinque Reges, omnemq; gloriam & splendorem, quo excepti sunt, Poloni historici longè latèque descripserunt. Sic unius Viri Sagacitate ac Prudentiâ Pax coaluit, cujus vulnus strictis ensibus, & mille hominum mortibus, exsecari non potuisset. Non mirum igitur oleo mortui *Arnesti* se-pulchrum fluere, quod ore ad tranquillanda surgentia maria vivens fundebat. Adverte Lector, omnia quæ bello hoc adferuntur, è Scriptoribus Bohemicis sunt petita; exteri Scriptores, non inter *Polonia Regem & Carolus*, sed inter hunc & *Ludovicum Vngaria Regem* gravissimas dissensiones exortas fuisse contendunt, quæ sine dubio in periculosum bellum desijissent, totumque involvissent Imperium, cum in partibus *Ludovici*, *Dani*, *Poloni*, *Austriaci*, & *Septemtrio* totus staret; pro *Carolo Bohemi*, *Moravi*, ac plerique omnes *Imperij Principes* pugnaturi viderentur. Plurimas de hoc bello sedando *Vrbani* Epistolas citat *Raynaldus*, monuitque idem



idem Pontifex Archiepiscopum Arnestum peculiaribus missis litteris (quæ extant) ut is ad pacem Caroli Cæsaris animum flectere conaretur; quod ille (ut narratum est) connubio Polonico conciliato præstitit diligenter non minùs, quàm feliciter.

Mihi, dum dissensionum istarum fibras, tum pacem postea consecutam, & foedera Cracovia icta perpendo, sic videtur: prima quædam belli semina Carolum inter & Ludovicum sparsa fuisse, at vicinos Reges & Principes, dum nimiam Caroli potentiam timent, addidisse ventos, & animasse incendia, adeoq; nisi Urbani Pontificis prudentia, deinde Arnesti aliorumque Præfulum sollicitudo vigilasset, sine dubio miserabili bello Regna arsisset.

Redierat Pragam ex Polonia Cæsar Carolus, cum venit in mentem tentare Procerum animos: ecquam spem Regni, in posteritatem suam continuandi, post tanta in Patriam merita, apud Bohemos haberet. Itaque infantem filium, Wenceslaum nomine, quem anno 1361. ex Coniuge Anna Svidnicensi, Noribergæ natum habebat, unicum id temporis, Proceribus commendat; addit exempla Regum, etiam in cunis coronatorum: *Sibi quidem nihil Bohemiâ, in qua natus esset, carius unquam esse, at teneri se quodammodo & coerceri, nè amorem totum effundat, dum, quis post se regnaturus sit, ignoret; darent proinde amori in eos suo, darent meritis, Parentiq; sibi, & quod facturi forsitan se mortuo essent, id nunc agerent; se Regem, Cæsarem viventem, supplicare pro filio, & dum adolescat, pro filio regnaturum; vadem insuper pollicebatur, regnaturum paternis virtutibus, eiq; se amorem Regni, velut hereditatem maximam, relicturum.* Nulla potentiores Regum preces habentur, quàm pro filiis suscepta; & erat unum illud in Carolo vitium: *amantio rem esse, & properare nimium in amore suorum.* Proceres audito Cæsare, impetrata deliberatione, nihil se Optimo Principi, & Patriæ Patri negare posse respondent, nullum aliud Regum genus Bohemos nosse, quàm ejus, qui Bohemiâ edificasset, à quo ipsam florentem haberent, cujus viderent membra toto Regno sparsa, qui in Bohemiâ natus Regem illis Bohemum (quod ipsi meritis omnibus anteferrent) genuisset: fortes creati

T. XVI. Ann.  
nal. A. 1363.  
& 1364.  
Urbanus T. Iq  
Epist. secr.  
pag. 71.

Dubrav. hist.  
Boh. l. 22.  
Hagel. A. 1377.  
Aeneas Sylv.  
in hist. Bohem.  
c. 32.  
Schickel. histor.  
Siles. l. 1. c. 30.

Arnestus coronationi  
VVenceslai  
Pigri adversatur.

Dubrav. l. cit.

Dubrav. l. cit.

Coronatio  
VVenceslai  
Pigri omni-  
sola.

Magk. A. 1363

fortibus, nec dubitari posse, quin eum Principem, quem omnis Regum bonorum etas pro absolutissimo exemplari habitura, & imitanda esset aliquando, Filius ad ejus exemplum ab ipsa natura factus, moribus vellet exprimere. Quidquid ex voluntate tanti Caesaris egressent, id omne universae posteritati facile probaturos. Gratias itaq; agere, quod indicasset, quodnam Optimo Principi obsequium à subditis maxime placeret. Latus responso Carolus, Arnesti quoque Archiepiscopi sententiam exquirat. At ecce unus ille fidenter, (praesagus forsitan futurorum ex Wenceslao Rege malorum) modestè, ut solebat, adversari Caesaris consilio, & excusare Wenceslai infantiam coepit. Regnum non nudam aliquam dignitatem esse, sed onus maximum, cui tota Civium salus incumberet; mala publica omnia privataq; Regibus imputari; à Regibus, Regi Regum, DEO, rationes Imperij reddendas, ideòq; ut Pontificiam dignitatem, non infantibus, sed qui officium scire possint, Coronas offerri. Nihil hæc fortia dicta, ob auctoritatem viri, magnis jam pridem præjudicijs, & sanctimoniâ partam, Casarem læserunt: hæc omnia (respondit) sibi pridem cognita ab Arnesto ipso didicisse, sed ut filio quoque Wenceslao cognita essent, id verò se curaturum: providisse jam viros idoneos probitate, prudentiâ, & curarum Regni non expertes, primùmq; ac Principem ipsum Arnestum fore (cujus senectutem optare sibi, regnòq; ac filio diu conservaret Divinitas) qui aetatem pueri consilijs firmarent, artesq; regnandi probatissimas docerent: unum illud regi à Coronatione quæri, ut regno securitas, & stirpi sua certa successio compareretur: scire Arnestum, nihil Regni periculosius, quàm dubium successorem relinquere; nihil Patri Regi optabilius, quàm Regem Filium videre; nihil bonis Civibus gratius, quàm Interregni metu carere. Hæc postrema Caesaris ad Arnestum dicta Proceres, qui aderant, excipiunt, & sententiam Caesaris approbant; adeòque victus omnium precibus, Venerabilis Archiepiscopus, in Wenceslai infantis coronationem serò tandem consensit. Coronatus est A. 1363. ab Arnesto, die S. Viti, in Ecclesia Pragensi; atque, ut nuper apud S. Sebaldum Noriberga, dum baptismate abluitur, sic nunc Praga, dum coronatur, quam

quàm malè illi corona sederet, quàmque fœdè regnaturus esset, ostendit. Sedebat in luto, quod tamen multo Procerum, Nobilitatis, Civium, ac Sacerdotum sanguine diluit, crudelitatis & libidinis suæ notis ubique relictis. Coronata est tertio post die Augusta Caroli conjux, quod ultimum solennium, & publicorum laborum ab Arneste fuit. Atque utinam Optimi Prasulis vicisset sententia! Forfitan audito, quod officium Regis postularet, evigilasset pecus aurea, & cruentam ignaviam Wenceslaus excussisset; at nunc, non modò in purpura, sed ferè etiam in Corona genitus, Annuus Infans, idem sibi postea regnare credebat, quod vivere.

Haged. Act. 1386  
1384. 1385.  
1392. 1393.  
1394. 1395.  
1396.  
Duhrau. hist.  
Bohem. l. 23.  
Crato Notis in  
Duhrau.

## Notæ in Caput X.

**O**Mnia prius quàm bellum experiri. *Vtile tamen est ad manum arma semper habere, & paratum ad propulsandas injurias, etiam exercitum, si sumtus ferant, alere.* Bellicosus Princeps, ait Synesius, omnium maximè pacificus est; soli enim illi pacem colere licet, qui lacescentes ulcisci, ac malè afficere potest. *Alia virtutes Principibus inesse debent, militaris virtus in his etiam apparere, & eminere. Regium opificium est arma tractare: his gloriari debet. Nulla pictura Regem decentius exprimit, quàm que eum armatum representat; arma pulcherrima sunt. Regum vestes, ob eamq; Majestatis causam omnes Veterum Dij pingebantur armati. Sed è contrario omni ope providendum Sapientissimi homines docent, ne sine necessitate bella gerantur; omnes ætates, etiam nostra, exempla suppeditant pereuntium, qui bella provocarunt: nihil illos priores adjuvant victoria, qui corruunt in ultima: boni Reges, nisi coacti, non descendunt ad bella. Narfes Dux magnus ante pugnam, totam noctem flendo transigebat, misericordiâ enim periturorum tangebatur. Ob duorum hominum inimicitias tot hominum millia cadunt! Bellum pœna DEI est; quis pœnam ultro sibi suo jumento, ut ait ille, accersat? nemo tam demens, ait Cræsus ad Cyrum, ut bellum, quàm pacem, præoptet; in Pace Filij*

Inutile bellum cum pax est.

Lib. de Regno ad Arcadium

Bellum belluina res est, ad quod Principes, nisi necessitate, non descendunt.

Herodot. l. 2.  
hist.

Plin. in pane-  
277. Trajani.

Patres, in bello Patres filios sepeliunt. Laudavit hoc in Traiano mi-  
litari Principe Plinius: non times bella, nec provocas, &c. nam,  
ut ipse nolis pugnare, moderatio, fortitudo tua præstat, ut neque  
hostes tui velint.

In bello bis peccare non licet. Lamachi di-  
ctum est apud Plutarch. in Apophth. ad Traianum. Idem expressit  
Typotius Tomo I. Symb. Cas. hierogl. 2. In bello, inquit, pœnitentiæ  
locus non est.

Bellorū cau-  
se antiquæ  
injustè quæ-  
rantur.

Vetusta obtendentes in Silesiam jura. Monet  
Juris Consulti, antiquas & obsoletas causas ad bellum gerendum non  
sufficere. Vide Besoldum de Jurisdictione Imp. Rom. C. 6. qui Baldum  
citatur scribentem: periculosum fore, si Imperator (idem est de alijs  
Regibus) omnia velit recuperare, quæ antiquo Jure ad Imperato-  
rem spectabant; hoc, inquit, esset revangare Mundum.

Verbis in contumeliam acceptis, Plutarchus o-  
ptimè de Præceptis gerenda Reipublica: quemadmodum, ait, incen-  
dium non sæpè à sacris & publicis oritur locis, sed plerumque ne-  
glecta in aliqua domo lucerna, aut inflammata quisquiliæ quan-  
doque ingentem ediderunt ignem; sic seditionem & bellum, non  
semper publicæ contentiones, sed sæpè minima etiam verba ac-  
cendunt.

Hagek A. 1366  
Error Hage-  
cij

Elisabeth neptis Casimiri. Erravit Hagek, qui  
Casimiri filiam scripsit; fuit neptis ex Bohuslao Duce Stolpensi, &  
alia Elisabetha Casimiri filia, ac Ludovici Regis Vngariae Consobrina.  
Miechv. l. 4. hist. Polon. C. 20. Cuthen. A. 1360.

Oleum ore fundebat Arnestus. Plin. l. 2. hist.  
Nat. C. 103. Omne mare oleo tranquillatur, & ob id urinatores  
ore spargunt; quoniam mitiget naturam asperam, lucemque de-  
portet. Symbolum hoc sit pacificorum Legatorum.

Legitimos  
Principes,  
et si infantes,  
subditi de-  
fendunt.

Regum in Cunis coronatorum. Multa passim  
in historijs exempla sunt: Macedones cum contra Illyrios pugna-  
rent,

rent, Regem suum in cunis, in aciem armatam, detulere. Vicerunt, qui amore pugnabant, ait Nazarius. Idem egere Faventini Gallie In Panegyri ad Caesarem Constantium, rogata populi, miseratione Asturis pueri Reguli, pugnaueruntq; feliciter contra Regem Gallie, Venetos & Pontificem. Joan. Pius in Annotat. C. 46 de Macedonibus. Idem habet Polybius, & Ammian, lib. 26. hist. Eleganter rem descripsit Iustinus p. 7. atq; parvum illum Macedonem Europum vocatum. Scribanus Noster in Originibus Antuerpie C. 2. & Lipsi: in Lovanio l. 2. C. 9. simile exemplum de Lovanienfibus narrant, qui Godefridum III. Dominum suum, infantem in cunis allatum, dum pro eo pugnant, interea ad salicem arborem ex linteolo suspenderunt, eiq; infanti victoriam pepererunt. Huc spectat memorabile illud erga Regem Bohemiae infantem Ladislaum Fidei exemplum, à Bohemo insigni belli Duce editum, quod Py II. Pontificis verbis recitabo: Venere, inquit, plurimi ex Bohemis visendi Regis gratia. Inter quos Georgius, cognomine Giskra, armorum gloria clarus, qui partes infantis Regis unus ferme in Ungaria defenderat, cum Rex Poloniae Regnum invasisset, praedones saepe acie fuderat, Joannem Hunniadem bis castris exuerat, rebellantes Ungaros magnis cladibus affecerat. Is ubi ad conspectum Regis intromissus est apud Novam civitatem (quo in loco tunc aderamus) astantibus pluribus illacrymans, Ladislai manum exosculatus, in hunc modum verba fecit: Video te tandem, teneoque mihi Rex; si scires, quae pericula propter te adivi, quibus me laboribus implicui, quot adverso corpore vulnera accepi! En cicatrices testimonio sunt. Patri ego tuo, Tibique vitam devovi! Nulla vis est, nulla fortuna, quae alienare animum à Te meum possit, officia mea sola Tibi auferet mors! Sed Tu haec per aetatem non intelligis. Et subridens: Quod ergo, inquit, mihi praemium Fidei ac laboris erit? & quod das militi Tuo stipendium? Sextum tunc annum agebat Ladislaus, qui, postquam Giskra dicendi finem fecit, oculos huc atque illuc circumvolvens, loculos Joannis Magistri Camerae suspiciens ex phylacterio pendentes, quae ille nummos pauperibus erogandos more Teutonico asservabat, hanc tacitus arripuit, atque sex tantum (neque enim plura invenit) illinc de-

In Panegyri ad Caesarem Constantium.

Hist. Bohem. C. 38.

Memorabilis Giskrae Bohemi Ducis fidelitas.

NE. Pius (tunc Aeneas Sylvius) hujus rei, quam narrat, testis oculatus.

Indoles Ladislai etiam, aum prope infantis.

deprompta dono Giskræ dedit. Admirati omnes Pueri factum, & providum, & liberalem futurum judicavere. Giskra innexor postmodum auro nummos è collo suspendit, Regiæ gratitudinis monumentum. *Haftenus Æneas Sylvius. Digna certè aternitate temporum narratio.*

**Dubium successorem relinquere.** *Id maximus Politicorum avo superiore, ut ego quidem sentio, Scipio Ammiratus evidentissimis rationibus ostendit. In discursibus l. 1. toto discursu 2. ut nihil addi possit.*

*In Calendarie  
historico. 17.  
Maij. 1363.*

**Coronata est tertio post die.** *Hageciñ secutus sum hoc loco, nam Lupacius, diligens omnino Scriptor, Elisabetham hanc, quartam Caroli Conjugem, longè antè (17. Maij scilicet) diademate regio in Basilica S. Viti coronatam affirmat, cujus scriptoris auctoritas propè me ad mutandam cogit sententiam.*

Arnestus Archiepiscopatu cedere parans, à Pontif: prohibetur; mortuo Innocentio VI. inter summi honoris Candidatos nominatur. Quantà gratiâ tunc Romæ floureret, indicatur.

## CAPUT XI.

*S. Iustinus nisi fallor.*

*Syrus in Mém.*

**V**Enustè, nescio quis vetus author, scripsit: *amorem tam esse noxium, ut si ipsa virtutes amarent, virtutes esse desinerent; in eamque sententiam Syrus dixit: Amare & sapere vix DEO conceditur. Oderat hunc virtutum suarum amorem*

amorem *Venerabilis Arnestus*, eoque humilitate descenderat, ut non modò virtutes suas, sed seipsum etiam, dignitatèque suam odisset, & grave quoddam scelus esse duceret, si *manus suas*, ut *S. Propheta Job* loquitur, *oscularetur*. Et sanè in tanta apud *Cæsarem* dignitate, & Aularum gloria, in Nobilitatis, doctrinæ, opùmque authoritate & potentia, honoribus non capi, divinum fuit; neque alia facilè virtus in Prælatiis, & Antistitibus admirabilior & gratior habetur, quàm illa humilitatis innocentia, atq; inter medios honorum Ordines, professa quædam, neque ex Aulæ tropicis & librationis cœlesti motu, aut artis doctâ simulatione, sed ex animi, ut ita dicam, animo, profecta facilitas, omnibus obvia, quæ suam ipsa dignitatem abdicare parata est, ut omnibus subseruiat. Sed difficile est, quod multo ambitu & amore quæsitum est, acquisitum contemnere. At *Arnestus* noster, cum *servire Beatissime DEI Matri MARIE* cuperet, oblivisci se se, exuere unâ se eum omnia, odioque Aulicæ vitæ, totum inter Religiosos viros obsequijs *Beata Virginis* mancipare, & donare constituit. Ac nescio, an non hoc *Arnesti* votum, novum haberi debeat amoris in DEI Matrem exemplum & genus. Nam alij in religiosa vita amplectenda alia merita, & titulos sequuntur (ut salutem suam in tuto ponant, & admittas noxas expient, ut virtutes discant & probent, &c.) *Arnestus* unum illud: quod diceret, sibi in Aula, & Ecclesiæ curis, *MARIE* serviendi tempus deesse, ad eam in ejus honorem ingressurum se vitam, qua unius Virginis obsequio tota consecraretur, & qua facultatem præberet sponsam suam Virginem & Dominam sine impedimento obsecrandi. In Glatz (ait per vetus vitæ scriptor) dimisso Archiepiscopali fastigio, voluit eandem *Canonicorum Regulam* profiteri. Et post: ut posset in ipsius DEI, & Beata ejus Genitricis laudibus liberiori animo perdurare, sæpe *D. Clementem Papatam, Innocentium VI. Urbanum V.* (sive modernum) per se, & aliquando medijs suis nuncijs (vide *Optimi Præsulis* in sancto proposito constantiam) est precatus: quatenus sibi darent licentiam, gratiâ melioris vitæ suæ, & liberioris ad contemplationem captandam. Sed ipsi scientes ipsum Ecclesiæ suæ sponsa præesse utiliter, ab ipsius vin-

Job. 31.

Arnestus Aulicæ satur.

Venerabilis Arnestus religiosam vitam affectat; sed à Pontificibus Romanis prohibetur.

Canonicorum Reg. S. Augustini.

culo cum absolvere minimè curaverunt. Nimirum qui voluntatem hanc Religionis injecerat, idem facultatem perficiendi negavit. DEVS; excitat ille in animis cupiditatem aliquando rerum maximarum, sed eâ impetratâ contentus, præmium nobis Sanctorum parat in cælo. Repulsam à Summis Pontificibus toties passus *Arnestus*, desiderare tamen nunquam cessabat, pennasque sibi columbæ dari, quibus in solitudinem avolaret, & requiesceret apud DEI Matrem, sæpius ardentè optabat: *In signum* (ait idem vitæ scriptor *Arnesto* coævus) *hujus sui desiderij præfati, coram Imaginibus DEI, & B. Virginis, quas quandoq; in vitris, & alijs coloratis picturis, fieri procurabat, deflexo in terram poplite pingebatur, ante cujus pedes omnia Insignia Archiepiscopalia, tanquam ab eo dimissa & abjecta propter DEVM, pingebantur.* Expressit nimirum in Imagine *Arnestus*, quod postea *Alfonfus Magnus Arragonum Rex*, nobili sententiâ extulit; quem, cum nescio quis beatum ob maximas opes prædicaret, mirareturque, ac identidem ex Rege quæreret: *fierine posset, ut tantus Monarcha in egestatem aliquando incideret? respondisse tradunt: finem brevi omnium earum opum futurum, si Sapiencia venderetur.* Idem sentiebat *Arnestus*, neque modò fluxas opes, sed etiam dignitatem omnem suam, ut hanc cæli margaritam (amorem & gratiam Virginis) mercaretur, prodigere, & vendere omnia sua, ut Evangelicus ille mercator, non dubitabat. Jam verò cum maximè infra omnes demittere sese cupit *Arnestus*, & ad religiosam contemtâque Mundo solitudinem anhelat, divino consilio tot simul, tantique in ejus caput honores incidere, ut ad eos tolerandos superandisque longè majore, quàm unquam antè humilitate opus esset; *Exaltat enim humiles DEVS*, ut æterno oraculo DEI Mater, conscia secretorum, vaticinatur; nam ut *Angelice & humane prædestinationis Ordo per humilitatem cœpit* (quod SS. Ecclesiæ Patres docent) ita divinâ Providentiâ agente, ij ad dignitates humanas facilius perveniunt, qui ad dignitates erubescunt. Quid enim humili *Arnesto* ad Posteritatem gloriosius esse potuit, quàm, etsi inter *Cardinales* nondum censeretur, dignum tamen existimatum, quem *Beatissima*

*Tanerm. l. 3.  
de gestu Al-  
fonsi Magni  
Arragonum  
Regis in præm*

*Arnestus cõ-  
temnit mun-  
di gloriam.*

*Lucæ 2.*



tissima Sedis Romane Majestas deceret? Explicuit rem totam illorum temporum historicus (quippe *Urbanum V. modernum Pontificem* vocat) & explicuit audacius fortasse, quam nostri sæculi delicata patientia ferat: *Magno*, inquit, *ab omnibus hominibus affectu dilectionis fovebatur Arnestus, præsertim in curia Romana: dum enim ex jussu Imperatoris ipsam Curiam Romanam, quam sæpius in Legationibus ipse Imperatoris visitabat, intraret, Papa & Cardinales ipsius, singulari ipsum honore præ ceteris honestabant, ejusq; verbis credentes, in ipsius petitionibus, & legationibus gratiosius expediebant. Communis igitur Domini Papa, Cardinalium, & aliorum Prælatorum, Cleri & Populi assertio proclamabat: non habere Alemanniam, imò totam Ecclesiam DEI, talem Prælatum, qui observaret legem Excelsi; mortuòq; Innocentio Papa VI, propter ipsius Virtutes & mores, per certos Cardinales, in Papam fuit inter alios nominatus, & forè ab omnibus fuisset electus, si nationis aliene ab eorum non fuisset. Sæpe etiam voluit eum Papa in majorem dignitatem promotione vocare, sed mens provida, non ambitiosa, honores respuit, qua habitam, ut prædixi, affectabat, si habuisset licentiam, etiam Archiepiscopalem dimittere dignitatem. Non mordax lingua inebriet gladium detractionis in sanguine, quia præmissa notatione disposui; sed ut tibi non detur opportunitas detrahendi: sed de ulteriore laude viri scilicet digni memoriæ discediunda resilio. Hæc Viriæ Scriptor, qui cum addit obtrectatores, & ebrias sanguine linguas, se timere, ideoque referendis Arnesti laudibus abstinere, satis indicat maximis ejus virtutibus (ut alijs sanctissimis Viris) adversarios, & invidos non defuisse;*

*nulli pars amula defuit unquam,*

*Quæ gravis obstreperet laudi, stimulisq; malignis;*  
*Facta sequebatur, quamvis ingentia, Livor.*

Venenum aspidum insanabile sub labijs eorum, qui bene de alijs loqui nesciunt, & alienam laudatione, quæ *Invidia* natura est, vulnerantur. In quos verò potissimum hoc telum vitæ scriptor contorserit, scire non possum. Latent videlicet eorum nomina, nec

Nota

Nota

A. 1362

Nota

Arnesto invidi &amp; amuli non defuerunt.

Claud. l. 3. de laudibus Sculionum.

*Ezech. 17. v. 9.* in Scriptura domus Israël scribentur, cum contrà ejus, cui sic invi-  
debatur, *Arnesti* nomen & gloriam, nulla possit dies delere.

## Notæ in Caput XI.

Voluntas  
bona à DEO  
pro facto ac-  
cipitur.

P. 2. hist. Sot.  
L. 8. N. 214.

**D**EUS aliquando voluntate contentus.  
*Hoc inter lumina cœlestia A. R. P. Jacobi Laynez Societ. IESV Præpositi Generalis, & Pontificij in Concilio Tridentino Theologi, viri scientijs omnibus, & prudentia laude conspicui Sacchi- nus. retulit: frequenter, inquit, habebat in ore, qui magna qua- dam DEI causâ appetent, vel recessum ad Religiosam Vitam, vel perfectionem ad Indos, & horum similia, si minùs assequi pos- sent, verabat inde argumentari: nè mentem illam quidem divini- tus sibi immittam esse. Nam DEVM nonnunquam Operis volun- tatem ijs injicere, à quibus non rem, sed voluntatem duntaxat, & conatum velit. Ita laudatum Davidis Templi extruendi consi- lium, sed effectum Salomoni filio reservatum.*

*Porro voluntas efficax, cum deest præstandi facultas, æquale cum facto habet meritum, ut probat Lorinus S. I. ex S. Gregorio C. 3. in Acta V. 6. §. contentus.*

## Deflexo in terram poplite pingebatur.

Descriptio  
altaris, quod  
Glacij Cano-  
nicis curârat  
Arnestus.

*Vidi unam ejusmodi Arnesti Imaginem, a trecentis & pluribus annis conservatam, Glacij in Templo Cœnobij RR. PP. Conventualium S. Francisci, qua, cum Basilica S. Mariæ ab Arnesto structa in arce Glacensi deiceretur, eò translata fuit. In ea Tabula, summâ pictoris arte, expressa, formosissima Regina instar, sedet Beatissima Virgo, & IESVLVM puerum ludentem gerit in sinu; ante DEI Matrem omnium dignitatum insignibus exutus flectit Archiepiscopus Arnestus: Insulâ, Pædo, Patriarchali Cruce, Archiepiscopali pallio, veste, totòq, Ecclesiæ apparatus ante Virginis pedes strato, exutis etiam chirothecis Episco- palibus, quas cum anulo ante Virginem ponit. Quâ Imagine videtur Arnestus expressisse illud, quod 24. Seniores agunt in cœlo, qui acceptus*  
de

de capitibus coronas, ante thronum Agni deponunt. Circa hanc grandiore[m] Imaginem (ut doctam pietatem Optimi Prasulis agnoscas) depictæ in parvis Imaginibus sunt Curæ Divæ Virginis circa puerum IESVM: ut Nativitas, in qua dives Mater ipsa esse cupisset; tum Circumcisio, quam anxie spectat; deinde Fuga in Egyptum, ne sequantur milites Virgo times; tandem IESV puer in templo docente, sollicita Matris & Iosephi Patris circumcuratio depingitur, &c.

Angelicæ & humanæ Prædestinationis Ordo per humilitatē cœpit. Verba sunt hæc R. P. Jacobi Pinro in suo Christo Crucifixo; quam sententiam, adductis Sanctorum Patrum testimonijs, solidissimè probavit. De Angelis quidem lib. 2. tit. 1. loco. 6. n. 9. & 10. De hominibus. L. 2. tit. 1. loco. 4. n. 20. 21. & seqq. loco 6. n. 29. & L. 4. tit. 1. loc. 8. n. 20. & seqq. & n. 12. 13. 14.

Etsi inter Cardinales nondum censeretur

Non semper ex Cardinalium numero Pontifices sunt lecti

Iam hinc provideo, non defuturos, qui mirabuntur fieri potuisse, ut Arnestus nondum Cardinalis, Pontifex ab aliquibus nominari posset. Qui id mirantur, satis ostendunt se Romanorum Pontificum Vitas non legisse, minúsque in historijs esse versatos: an enim Urbanus, Alexandri IV. successor, Cardinalis fuit? sanè post Urbanum, Joannes Vercellensis Generalis Prædicatorum, Pontifex fieri debuit, sed quia aberat, Guido factus est. Eugenius ex Abbate, Clemens V. ex Archiepiscopo Burdegalensi creantur. adeoque hoc ipso tempore Arnesti loco Urbanus V. electus est ex Abbate Massiliensi, ut Genebr: & Gaulterus noster notaverunt. Laynius Soc. IESV Generalis, post Pauli IV. mortem, jam à 12. Cardinalibus Pontifex erat nominatus, nisi properè è conclavi se proripuisset, ut narrat Sacchinus p. 2. histor. Societ. l. 3. n. 47. Habitabant id temporis Romani Pontifices Avenione, unde toto fere illo sæculo Galli sunt creati. Vide Onuphrium, Genebrardum, Ciacconum, aliósq; de his rebus agentes. Innuit aliquid de toto hoc negotio, quantum ad Arnestum pertinet, subobscurè licet, Annalium Ecclesiasticorum egregius Scriptor Raynaldus, cum post

In Chronolog.

Raynald. in Annal. Eccl. T. XVI. Anno sentias 1362. N. 6.

372 DE VITA VENERABILIS ARNESTI LIB. III.  
rentias Nationum studijs actos, & alios, ut è Collegio Cardinalium Pontifex legeretur obnixos, alios, ut extra Collegium quispiam nominaretur, contendisse significat.

Sanctissimis Viris adversarios non defuisse.

Eam rem probatam in plurimis Opusculis Spiritualibus R. P. Nicolai Lancicij S. I. invenies. Sancti sunt in signum, quibus contradicitur, & gladius detractionis animam eorum pertransit. Ribera in C. 1. Apoc. n. 16. & Cap. 13. n. 22. & C. 19. n. 26. lingua, gladius acutus. Lorin. in Psalm. 56. v. 5.

Latent Obrectatorum nomina. Hec infelicitas eorum est, qui aut carpunt, aut invident.

Qui bonis  
adversantur,  
nomen amittunt.

Ingenium enim omne in alienis consumunt, non in suis: Parva doctrina, sed grandis superbia signum esse solet, obrectandi pruritus; ratio in promptu: quia si quid ipsi unquam præclarum facere scirent, aut fecissent, viderent sine dubio, non omnia, quæ ab humano ingenio proficiuntur, divinitatem quandam habere posse, ut nihil fieri perfectius in eo genere possit. Quod si tamen ingenium suum periclitati sunt aliquando, putantq; nihil divinius à quoquam dici aut fieri potuisse, quæ tandem hæc & quàm stulta superbia! Porro latere nomina obrectatorum, contra, bonorum æterna esse, in simillimo argumento, levisimus aliàs Poëta, Epigrammate docuit.

Est in Evangelio, verum sine nomine, Dives;  
Pauper ubi æternum Lazare nomen habes.

Arnestus Legatus Apostolicus  
primùm, mox S. R. E. Cardinalis creatur:  
sed brevi post tempore sanctissimè excedit è vita.

CA.

## CAPUT XII.

Valedixerat Aulæ *Cæsaris* per id tempus *Arnestus*, atque Cardinalitica Purpura offerretur *Arnesto*.  
 atatis ingravescentis excusatione, libenter ad sanctam quietem capiendam utebatur, cum iterum honores Sancto viro molesti, ante obitum, esse cœperunt. *Vrbanus V.* Pontifex, Vir doctrinâ, vitâq; sanctimoniâ præstans, qui meminerat *Arnestum* ad summum Pontificatum à quibusdam Cardinalium postulatum, candidatum ejus honoris secum fuisse, ratus minora mereri, qui maxima meruisset, cum alijs honoribus angere, tum ad Sacram Purpuram *Arnestum* vocare constituit. Ea res *Carolo Cæsari* gratissima, *Arnesto*, omnis gloriæ fugitanti, pro omni tormento & supplicio fuit. Quò se verteret, qui fugere vetabatur? Litteris & nuncijs *Avenionem* properè dimissis, excusavit primùm honorem, tum etiam vitæ Religiosæ ineundæ facultatem expetiit. Nihil apud Sanctissimum Pontificem recusatio valuit. Gnarus erat omnis Sanctitatis, eosque maximè idoneos honoribus esse censebat, qui honores fugerent. *Fuga Sanctorum*, ait D. Ambrosius, est trames innocentie, virtutis via, pietatis assumptio. Ergo *Arnesto* dignitas iteratò mandatur. Anno Domini 1363. ait Lupacius, insignis apud nos historicus, *Ernestus Pragensis Archiepiscopus* per D. *Vrbanum Papam*, 12. Septembr. creatur Cardinalis. *Mart. Borek*: obit *Arnestus*, quem *Vrbanus Papa* Cardinalem crearat. Idem testatur *Chronicon* Monasterij *Brzeunoviensis*, idem in Pulveribus Sacris *Crugerius* demonstrat. Illud verò *Carolo Cæsari* longè acceptissimum, quòd Legatus *Apostolicæ Sedis*, *Pragensis Archiepiscopus* in perpetuum crearetur, nam id multis ab *Innocentio* Pontifice Legationibus jam pridem (sed frustra) *Carolus* flagitârat. *Arnestus* interim, cum fugere satis dignitatem vivens non posset, fugit è vita, & Purpuram cœlestibus illuminatam gemmis, & coronam in perpetuas aternitates lucentem accepit. Aptissimè D. Ambrosius (super illud: fugite in aliam) locutus est.

Cardinalitica  
Purpura offerretur  
*Arnesto*.

*Gaulterius S. I.*  
in *Vrbano in*  
*Chronolog.*

D. Ambrosius, l.  
de fuga saculorum  
C. 4.

In *Calend. hi-*  
*storico.*

*Mart. Borek*  
in *hist. Bohem.*

*Chronicon. M.S.*  
*Breunoviense.*

*Cruger. ulte*  
*lunij.*

*Arnestus*  
cum ei purpura  
fertur moritur.

*Loc. citu*  
est.

est: Fuga mors est, vel celebrata, vel adumbrata, & fortè illam Saluator exprimit Refugij legitimi Civitatem; ut confugiamus ad virtutum culmina, quas pro pramijs bono feneratori dispensat, quia in medico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem Civitates. Erat *Arnesti* anima velut hortus irriguus, imò deliciarum paradisus, quem quatuor pulcherrima flumina, quatuor nimirum Virtutes Cardinales, implerent; tempus igitur erat ut in hoc Cœlesti paradiso, post auram in meridie, in gloria cœlesti divinitas spatia- retur. Annus agebatur 1364. *Budissinam* Lusatix Metropolitim *Carolus* Imperator abierat; cum *Arnestus*, pro quibusdam arduis suis, & *Ecclesie* sue negotijs (verba sunt Manuscripti Codicis) venire cupiebat. Facile suspicari possumus, oblatam recens Romanæ Purpuræ dignitatem, tum *Legationem Apostolicam*, quæ ei non modò *Olomucensis* & *Wratislaviensis*, sed etiam *Misnensis*, *Ratisponensis* & *Bambergensis* Episcopatus subijciebatur, huic Professioni causam dedisse. Siquidem constat Episcopos, quos postremos nominavi duos, omni opo, nè id fieret, repugnâsse. *Budissinam* venientem *Arnestum*, antiquâ amoris significatione, magnâque universorum Procerum, ut ait *Hagek*, veneratione obviam venientium, *Cesar* excepit, summâq; gloriâ & gratulatione, verba sunt veteris manuscripti, pertractus est in *Urbem*. Reliqua ex *Hagecio*, Principe Bohemix historico, pertexam. Die Pentecostes, celebratâ magno splendore, sed non minore humilitate, animi demissione & pietate, multis cum lacrymis, Archiepiscopali *Missa*, verba de Spiritu Sancto fecit ad populum; aderat Imperator *Carolus*, & Imperij Principes, in quorum gratiam Germanicè peroravit *Arnestus*, tantâ facundiâ, ut multis admirationem sermo ille moveret, ob excellentiam videlicet Inventionis, & ob sententiarum gravitatem, tum quòd homo Bohemus, jam tot antè linguarum peritus (*Italica*, *Gallica*, *Bohemica*, *Latina*, *Germanica*, ut sacras linguas *Hebræam*, atque etiam *Græcam* taceam) tamen nè verbo titubaret, sed velut in media Germania natus loqueretur. Quæ quidem inter postremas *Arnesti* concionantis laudes haberi debet; nam quantam doctrinam ad Conciones sacras ad-

S. Ambr. l. de  
Paradiso C. 7.  
2. s. s. s. s. s. s. s.  
*Arnestus* in  
Psalterio C. 26.  
& 34.

*Arnesti* ultima ad *Carolium* *Cæsarem* profectio.

1364.

24. S. Vita.

*Arnestus* cō-  
tracto è sa-  
cra concione  
morbo affli-  
gitur.

ferre

ferre soleret, satis immortalia ejus opera testantur. Eodem ipso die (9. Junij) an senile corpus ardore dictionis commotum non nihil læserit, an alia de causa, incertum, atrocissimis febribus *Arnestus* corripitur. Alter à Medicis expectabatur dies, nihil intermisso dolore, febris accessio longè violentior & acrior dolores omnes auctos reduxit. *Cognito*, ait M. S. *diem Resolutionis sue instare, à Casare ac Proceribus omnibus accepto commeatu, ad proximam Archiepiscopi ditionem Raudnicium* (fortè etiam ex Medicorum consilio, qui aurâ patriâ malum depelli posse crediderant) *deportari se languentem jubet*. Non dubium est, in extremis illis complexibus multâ libertate, ut solebat, usum ad *Casarem*, quæ in rem viderentur, attulisse. Providerat jam antè sibi de facultate, testandi, & à *Summo Pontifice*, atque à *Casare* confirmatum, quid quid ultimâ voluntate statuisset, habebat. *Testamentum* igitur jam anno 1352. 18. Junij conditum profert; cujus exemplar diu multumque quæsitum nullâ unquam fælicitate nancisci potui. *Servitores suos*, ait vitæ Scriptor, *plurimis remuneravit muneribus*; id quoque satis constat: *mille argenti graves marcas*, præter alia, *Ecclesiæ Pragensi* in fabricam, & *Altaristis* in eadem Ecclesia cæmentibus *ducentas graves marcas* legavisse. Quid de reliquis à Principe tam opulento, simulque pio sentiendum? pro certo habendum, suorum quoque *Canonicorum Glacij, Jaromirij, Rokyczana*, & in *Monte S. Apollinaris*, quos in vita dilexit, præcipue *Glacensium*, atque illius Templi, in quo sibi sepulchrum paraverat, meminisse. Dictavit etiam eo in rerum articulo visionem illam sibi puero oblatam, (de qua jam supra suo loco dictum) eamque virtutis amore sic descripsit, ut, quod cedere in honorem debuerat, apud rerum cælestium ignaros in contemtionem, & gravium criminum in *Arnesto* suspiciõnem, verti posset. Sentiebat *Arnestus* silentium in omnibus, sed maxime in Revelationibus esse tenendum. *Summa Ministrorum Regni laus est*, ait ille, *secreti mollem gravissimam diu posse bajulare*: Nemo secreta potest tacere, nisi qui prunas ardentes in lingua sustinere didicerit, ajebat *Antiquitas*. Quibus autem virtutum documentis *Optimus Prasul* vi-

R r

tam

Testamentum  
VEN. Arne-  
sti.Archivum  
Commenda  
Glacensis Rbo-  
diorum N. 14.

M. S. Vita.

Ejus immi-  
nente obitu  
cura & occu-  
pationes.Laudat ejus-  
modi silentium  
D. Ambros.  
in Psalm. 26.Ministrum  
Card. Rische-  
lij l. 3. C. 106

Idem habet Lu-  
paci in Cal.  
hifor. 30. Iun.  
Paproc. in  
Arnefto.  
Vveleflav. in  
Calend. hifor.  
30. Iunij.  
Hagek A. 1364  
Chron. M. S.  
Glacij  
Cuthenus notis  
ad C. 30. Ar-  
nefta Sylvij.

Psalmo 6.

S. Ephraem  
ferm. de Peni-  
tentia.

Inter San-  
ctos occul-  
tos Arneftus  
habendus.

D. Ambrosij  
Psalm. 36.

Serm. de obitu  
Theodofij Imp.

tam confignarit, vitæ Scriptor breviffimus expreffit: circa sanam  
 & omnimodam rationem, cum maxima contritione & devotione  
 cordis, migravit ad Dominum A. 1364. die ultimâ Mensis Junij,  
 quæ fuit dies Dominica, in fefto Commemorationis S. Pauli Apo-  
 ftoli gloriosi, horâ quasi Completorij, Pontificatus fui anno vice-  
 fimio fecundo. Hagecius quoque omnibus Sacramentis ad cœle-  
 stem vitam comparatum, Confessione peccatorum omnium præ-  
 miffâ, & quod diferte addit, omnibus vitæ rationibus rite com-  
 pofitis, magno pietatis fenfu, & cordis contritione obiiffe, fcribit.  
 Nimirum quibus virtutibus per omnem vitam infueverat, ijs tum  
 maximè tenebatur; humilitate, & extremo fui contemptu,  
 cum fe canem fœtidum, & maximum peccatorum moriens dictaret,  
 fua omnia, quæ in laudem cedere poterant, occultare folitus, ul-  
 timum fortaffe vitæ gemitum cum ardentiffimo in DEVM, DEIQ;  
 Matrem amore conjunctum premere voluiffet. *Laboravi in gemi-  
 tu meo*, ait Propheta, quod S. Ephraem fic accipit, quali sanctiffi-  
 mus Rex laboraverit, nè pij ejus gemitus ad DEVM, alijs quam,  
 DEO, noti effent, ac proderentur. In Cœlo igitur, quæ hîc ab-  
 fcondit, *Arneftus* inveniet, & quæ homines celavit, Angelis, nullo  
 jam inanis gloriæ timore, narrabit. Ita D. Paulum in cœlo concio-  
 nari dixit Ambrosius: *illa nunc in cœlo prædicat Paulus, quæ in*  
*terris antè* (nè fe extolleret) *prædicare non poterat*. Abijt igitur  
 dilecta illa Deo hominibûsque anima, ut æternam tot pulcherrimi-  
 morum Operum, Charitatis, Humilitatis, Magnificentiæ, & infi-  
 nita, ut ita dicam, in pauperes Beneficentiæ, Pietatis in DEVM, ac  
 DEI Matrem, quam toto corde dilexit, mercedem reciperet.  
 Meritò præfens Caput, quo vitam claudens *Arneftus* defcribitur,  
 melleis D. Ambrosij verbis claudere poffum: *Ergo recedens è ter-  
 ris pia Theodofij (Arnefti) anima, & Sancto repleta Spiritu, quali*  
*interrogantibus ijs, qui sibi occurrerent, cum sese ad sublimia, &*  
*superna subrigeret, dicebat: dilexi! dilexi! (JESVM & MARIAM) ni-*  
*hil hoc plenius, nihil expreffius. Interrogabant Angeli vel Archan-*  
*geli: quid egifti in terris? dicebat: dilexi. Hoc est dicere: legem*  
*implevi; Evangelium non præterivi,*



Mortuus est *Arnestus* anno ætatis ultra sexagesimum, Archiepiscopatus anno vigesimo secundo; *Vir*, ut ait Hagek, *longæ* Hagek A. 1364 *statura, venustâ facie, omni honestate decorus, miræ patientiâ, DEO & hominibus carus, cujus memoria in benedictione sit, qui quod alijs predicabat, ipse primus implebat.* Reliquit Ecclesiam Pragensem Nobilitate, doctrinâ & virtutibus Sacrorum hominum, quos in studijs *Italicis* aluerat, florentissimam; Cœnobia religiosissimè constituta, ditiones omnes Archiepiscopatus instructissimas, debitis nullis oneratas, auctum novis quàm plurimis ditionibus & opibus Archiepiscopatum, universa denique sic ordinata, ut ante se Præsules omnes in hoc genere superâsse, posteris, etsi optimis Principibus, exemplum tamen dedisse, videatur.

## Notæ in Caput XII.

**C**ardinalis, & Legatus Sedis Apostolicæ. Lupac. in Cal. hist. 12. Sept.

*Legationis hujus dignitatem Arnesto primum collatam M. S. Codices affirmant; deinde accuratissimi vetustatis indagatores Lupacius, & in Misnicis suis Georgius Fabricius, licet a Religione nostra alienus, retulere. Accedunt Dubravius & Pontanus, qui cum de Arnesto narrare cepissent, mox, nullâ narrationis clausulâ, legationem subiiciunt. Fabricius clariùs, non modò Legatum fuisse, sed Misnensem quoq; Episcopatum aliquamdiu rexisse Arnestum commemorat. Idem insinuat Chronicon Glacense, Manuscriptum, & aliud Chronicon Breunoviense. De Cardinalitia Arnesti dignitate hæc habet Crugerius (in sac. Boh. Pulver. ult. Junij) tam rarâ virtute, tamq; eximiâ vita sanctimoniam eminebat. Arnestus, ut Urbanus V. sub A. D. 1363. 12. Septembris Cardinalitium Ernesto galatum decerneret; sed hanc Romanam Purpuram, eiq; annexam dignitatem, Ernesti in primis modestia distulit, avaritudo post paulò ac etiam Mors subsequuta, omnino impedivit. Hæc Crugerius.*

*Quâ verò id factum ratione sit, indicat. vetustus Ecclesiæ Pragensis Liber: Ecclesiæ S. Viti, ait, procurante Boleslao Pio Duce Bohemix,*

miæ, & Mlada Virgine ejus sorore, in Cathedralē, per Sedem Apostolicam, est erecta. Decursis denum multorum annorum curriculis, ipsa Ecclesia Pragensis, procurante gloriosissimo Principe Carolo IV. Rom. Imp. semper Augusto & Bohemiæ Rege, sublimata est in Metropolim, & facti sunt ejus Suffraganei Olomucensis, & Lutomissensis Ecclesiarum Episcopi, sed & disponente eodem Imperatore, factus est Archiepiscopus Pragæ Legatus Sedis Apostolicæ in Pragensi & Olomucensi, Lutomissensi, Ratisbonensi, Bambergensi & Misniæ Ecclesijs & Dioecesebus, & jam dictæ Ecclesiæ Archiepiscopo Pragensi, per Sedem Apostolicam, subjectæ sunt Jure Legationis. *Hactenus M. S.*

*Nota.* Quid verò esse causa potest, quod neq; Hagecius, neq; Vita Scriptor, de Cardinalitia Arnesti dignitate, neq; de Legatione, usquam mentionem fecerint? imò contrarium potius, ex antiquis quibusdam monumentis quispiam tentaret elicere. Vidi ipse antiquissimam Altaris Tabulam pictam, ex Monasterio Slowanensi, seu Emmaus, in Oppidum Czernovicz Pragâ translata, quam mihi Illustrissimus Baro Martinus Henricus de Paradis, Dominus in Czernovicz & Stirzin, &c. *Sav. Caf. Majest. Induciorum Austriæ & Cameratici Assessor, Patronus meus antiquus & singularis, ostendit; in qua Tabula hæc ipsa leguntur, quæ Illustrissimus Baro suâ manu descripsit: A. D. 1388. die 12. Mensis Octobris consecratum est hoc altare per Reverendissimum in Christo Patrem, & D. D. Joannem Archiepiscopum Sanctæ Pragensis Ecclesiæ tertium, Apostolicæ Sedis Legatum II. Primum Regni Bohemiæ Cancellarium, in honorem SS. Martyrum Dionysij, &c. Ex hoc inferet aliquis, Historia Bohemæ peritus: ergo Arnestus Apostolica Sedis Legatus non fuit, nam alias Joannes Archiepiscopus ordine tertius, tertius quoq; Legatus fuisset.*

Id brevi tempore fuit, nam A. 1352. & seqq. Theodoricum Misnensem in literis Apostolicis nominatum in vicio. Raynald. in Annalib. Eccle. A. 1354.

Objectiones quædam historica adversus Arnesti dignitates solvuntur.

*Ad hæc omnia respondeo: Arnestum hisce honoribus (Legationis & Romanæ Purpuræ) dum ab Urbano ei mitterentur, immortuum, tamq; id breve tempus honorum fuisse, ut fortasse neq; Pileus Cardinalitius ad Arnestum vivum pervenerit. Ob quam causam inductus Urbanus Pontifex, eosdem honores, quos Arnesto de-*  
*greverat.*

creverat, successori ejus Joanni Archiepiscopo secundo reliquit. Eadem ratio esse potest, cur Arnesti nomen inter Cardinales Panvinus non reposuerit; nimirum Vita brevitatis, & nondum recte confirmata & assumpta Purpura, id fecit: quanquam satis scio, Panvinum in exteris Cardinalibus recensendis negligentius paulo esse versatum.

Verum opere in magno fas est obrepere somnum.

Certe nonnullas omisit, quibus eam dignitatem collatam constat clarissime, ut hunc ipsum Archiepiscopum Joannem, super cujus sepulchrum Pragæ Cardinalitius galerus diu pependit. Habemus autem fere quatuordecim ex Bohemia & Moravia, hac dignitate a Pontificibus exornatos, & Cardinales creatos, quorum nomina in Sacris Regni Bohemiæ Pulveribus recitabuntur. Forsitan etiam vel ideo a Panvino Nostri quidam preteriti sunt, quod absentes creati, & fere extra ordinem fuerunt. Lupacius in Calendario historico (13. Aprilis) scribit de Episcopo Pragensi ad Archiepiscopalem dignitatem ab Urbano Papa euecto, deq; Purpura Cardinalitia, titulog, Legati nati, eidem collato, exstare longam in Manuscriptis Codicibus Narrationem, quam utinam mihi videre contigisset, ut certi aliquid statuere possemus! Animadvertere oportet mendum in numeris (quod saepe fit) in Calendarium Lupacij irrepsisse: Cardinalis enim creatus Arnestus A. 1364. 12. Septembris scribitur, cum, eodem Lupacio teste, jam ultimâ Junij obierit. Legendum igitur erit A. 1363. nisi forte (quod mihi non displicet) de morte Arnesti nihil sciens Pontifex, absentem & jam mortuum in Cardinalium Collegium cooptarit. Quod Hagecium attinet, nihil mirum est omisisse; totus enim Joanni successori imminabat, & alioqui in rebus Archiepiscoporum, circa hac tempora, magni ab eo admissi errores notantur: multa, quæ Arnesto propria fuerunt, Carolo Cesari adscripsit; deinde plures Archiepiscopos omisit, ut Wolframum, qui facile quatuordecim annis Pragensem rexit Ecclesiam, in cujus castris contra Regem Wencellaum se militasse Bartholomæus de Drahonicz Eques, cujus manuscriptam historiam habeo, narrat. Hagecium in eo errore, quod mirere, omnes reliqui Historici secuti (uno Stransky diligentissimo historico excepto) ut Pontanus & Dubravius, Wolframum & plures alios omiserunt.

Horat. de Hæmoro.

Cardinales ex Regno Bohem. non pauci.

Hagecij historic. negligentia.



scrunt. De Joanne III. Archiepiscopo nihil scivit Hagecius, duosq; Joannes in unum confudit. Hic igitur ordo Archiepiscoporum. Primus Arnestus. Secundus, ejus successor Joannes Uk, sive Ocellus; deinde Tertius Joannes de Genstein Patriarcha Alexandrinus, & Episcopus Misnensis. Hic visionem habuit de clade Regni, & hæresi proximâ, territusq; eo viso Romam abiit, & ut ait Stransky, inter Monachos vitam professus est. Addit Bileiowsky, in historia M. S. Hussitica, A. 1398. Romæ obiisse; & apud S. Praxedem sepultum, cui ingratus successor victum suppeditare neglexerit. Huic successit quartus, Wolframus, qui jam A. 1398. sedit, cujus aliquas memorias A. 1407. recitavit Paprocus; sub hoc Wolframo, ait Bileiowsky, A. 1412. Hussus detestabilis concionari cœpit. A. 1414. Quintus Archiepiscopus Nicolaus Puehnicus, qui uno tantum anno Pragensis rexit Ecclesiam, & veneno sublatus est. Erravit luculenter Stransky, cum Puehnicum A. 1400. Antistitem nominat, qui tum erat Vicarius Archiepiscopi generalis, non Archiepiscopus. Sextus, Zbignæus Baro à Leporibus, seu Hazenburg. Hunc virum doctissimum ait Hagek fuisse; at Stransky hominem litterarum rudem appellat, cui suffragatur vicinissimus illis temporibus Catholicus Doctor egregius Paulus Zidek, qui in suo M. S. Libro ad Regem Georgium, ait Zbignæum tunc legere primò didicisse, cum Archiepiscopus esset creatus: Idem scripsit in M. S. sua historia Hussij sectator Bileiowsky. Post Zbignæum duo propudia Archiepiscopatus Albicus & Conradus (ab Anno 1420. usque ad 1431.) qui Archiepiscopatum avaritiâ sibi ac successoribus amiserunt. Jam sub Ferdinando I. Antonius Archiepiscopus Pragensis, qui Concilio Tridentino interfuit. Eorum, qui sequuntur Catalogum (sunt enim norissima nomina) texere opus non puto. Memorabile est Hagecij erratum, sed forsitan librario adscribendum, quòd A. 1316. Hermannum Archiepiscopum Pragensis postulerit, cum idem ipse Arnestum affirmet (A. 1343.) primum eam dignitatem consecutum. De Zbignæo Archiepiscopo circumferebatur Cantus Bohemicus ab Academicis Hussi faventibus id temporis compositus, in quo etiam ille versus canebatur: Biskup Zbyněk Abeceda / spalil Knihy nic newěda.

Ordo Archiepiscoporum Pragensium Authoris sententiâ.

Stransky C. 6. Reipubl. Boh. ¶ 6. & ¶ 16

Paproc. in Epitculo Moraviae fol. 130.

Zalasky in Vita Hussi Cont. 5. N. 4.

newēda. *Id est: Zbignāus Abecedarius libros combussit, quid continerent, ignarus. Esi enim fortasse indoctus, ardentissimus tamen fuit Religionis propugnator Zbignāus, librōsq; hereticorum undiq; conquistos medio in foro Pragēsis Urbis cremārat.*

**Legatus Apostolicæ Sedis Archiepiscopus Pragēsis.** *Eum titulum Legati nati hodiē, Pragēses Archiepiscopi omnes ferunt. Bullam Apostolicam habere non potui, sed res est certissima & pervulgata. Carolus Cæsar egit apud Urbanum, ut Pragēsi Archiepiscopo, Ratisbonēsis, Bambergēsis & Misnēsis Præsules subicerentur. Fabr. lib. 2. rer. Misnicarum. Addit verò: mortuo Cæsare Carolo Præsules libertatem recepisse. Idem narrat alibi (in supplemento Chronicorum Siffredi Presbyteri Misnēsis) A. 1385. Wenceslaum Cæsarem petivisse ab Innocentio Pontifice, sed non impetrasse. Hac omnia post Arnesti mortem acta prætereo.*

**Wratislaviensis Episcopus**  
 ensis Episcopus Princeps  
 Ligius Regi Bohem.

**Wratislaviensis Episcopatus.** *Wratislaviensem Episcopatum ad Coronam Regni Bohemix pertinere, clarissime ex publicis ea de re instrumentis demonstrat Schickfus. lib. 3. Annal. Siles toto C. 5. præcipue verò ex litteris Brzetislai Episcopi Wratislaviensis, ac totius Capituli datis. A. 1358. ultimâ die Mensis Novembris, & alijs pluribus documentis. Ideoq; Episcopus velut Princeps Ligius, novo Regi Bohemix jurat, item ad Coronationem vocatur, &c. ex quibus luculenter patet, errasse Miechovium lib. 4. C. 2. 3. sua historia.*

Henelius in  
 Silesogr. C. 70

*Equidem mirari satis nunquam potui, quorundam historicorum passiones; unius maxime sæculo priore scribentis, qui omnibus paginis Hagecium, Ecclesie Boleslaviensis Canonicum, & Dubravium Episcopum Olomucensem, Virum doctissimum & gravissimum, & Legationibus pro Imperatoribus cum summa prudentia gloria obitis clarissimum (ubi minimum gentem quamdam attingunt: lex enim historiae est vera dicere) falsi, & mendaciorum accusat, sepe sine auctore, à nemine accepta scribere, ait, &c. Nec parcit Pio II. Pontifici, quem affectu erga Bohemos ductum errasse, & (quod vix audeo dicere)*

Defensio Episcopi Dubravij & Hagecij Canonici.

Quibus testi-  
monis Bo-  
hemiz histo-  
ria nitatur.

cere) mentiri affirmat. *Majorem modestiam in historico requireo, majorem etiam veritatis, quam gentis sua, amorem: quid enim veri scribet, qui nihil de gente sua sinisterum, aut infelix, aut malum possit audire? Atqui ô bone! Historia Bohemia Hagecij & Dubravii, nimis certo & firmo solo inaedificata est; nam in primis ab Anno 600. post Christum, usq; ad 1190. Cosmæ, Pragensis Decani, vetustissimi Scriptoris autoritate nititur, qui ea, qua maximè tibi suspecta sunt, spectavit, cui major sine dubio, quam alteri, post tot sæcula scribenti, fides debetur. Quid ego Privilegia & Archiva Pragensis Ecclesie, & decem alios vetustos Bohemia Scriptores, ex quibus sua collegit Hagecius, & quos initio libri nominavit, commemorem? Sequitur deinde Chronicon Aulae Regiæ de Gestis ferè Joannis Regis, quod eorum Temporum historicus Petrus de Zittavia, Abbas Aulae Regiæ, scripsit. Caroli IV. Vitam, ab ipso Carolo scriptam habemus, qui sine dubio mentiri noluerit. Iam Aeneas Sylvius, seu Pius II. Pontificis tempora sibi proxima, aut etiam que viderat, descripsit, tantumq; abest, ut laudandos sibi sumserit Bohemos, ut nemo acrius ob aliquorum hæreses exagitaret. His authoribus Dubravii & Hagecius nituntur; quorum autoritas merito novitio uni auctori, & alioqui gentis sua omnia gesta, contra aliorum quoq; Scriptorum fidem, laudanti, præponderare debet. Isq; ut evidenter apparet, neq; Cosmam, neq; Chronicon Aulae Regiæ, neque ipsum Carolum, neque alios veteres memorias aut legit, aut examinavit, alioquin non toties quæreret, unde sibi Dubravii & Hagecius ea fingere potuissent? Hac visa mihi est necessaria Scriptorum nostrorum defensio.*

**Cognito Resolutionis suæ die.** *Id vel d. divinâ revelatione, vel etiam argumento februm in senili & effato corpasculo regnantium, conycere Arneſtus potuit. Et certè eo sæculo plures sannes Prasules febris extinctos est reperire. Eo eodem morbo postea A. 1376. vel 1375. (utrumque enim habet Schickfusius) Brzetislaus Episcopus Wratistaviensis obijt, cujus maximè operâ factum, ut Wratistaviensis Episcopatus ad Coronam Regni Bohemia pertineat. Vide Schickfus. loco nuper cit. & L. 3. C. 2. Annal. Siles.*

Arne-

Lapis sepulchralis Ernesti I. Archiepiscopi Pragens:  
ut olim fuit.


OCCIDENS  
Lapis sepulchralis Ernesti I. Archiep. Prag:  
ut nunc est:



SCALIA MENSURALI  
SEPTENTENTRIONALI

MERID.

ORIENS





## Arnestus ætatis anno ultra sexagesimum.

Arnestus sexagesimum obiit.

Quo ætatis suæ anno Arnestus obierit, nemo historicorum tradit. Tacet Hagek, tacet Lupacius, tacet Vitæ Scriptor Joannes Glacensis Præpositus. Decessisse eum in ætate senectæ facile sic probatur: in primis ad studia in Italiam ante 14. ætatis annum profectum vix credibile est, maxime cum prius Glacij, Braunoviæ & Pragæ scholâs frequentârit; vixit deinde 14. annis Bononiæ & Paduæ, ut constat ex M. S. ejus Vita; inde, Aulam Pontificiam secutus, Romæ & in Gallia egit, ut ipse scribit, & antè probavî, cui rei suum etiam tempus tribuendum esset: ex Aula cum in Patriam redijt, prudenter putare non possum, statim eum ad tantam ascendisse dignitatem, ut sine Canonicatu, mox Ecclesiæ Metropolitanæ Decanus crearetur. Sed faciamus id ita fuisse, annis decem & septem in comunere stetit, ut in Manuscriptis est legere; deinde Archiepiscopus annis duobus & viginti Ecclesiâ rexit, omnium prorsus historicorum consensu. Quos annos omnes si colligas, & summam facias, cum omni parcissima hac, & illiberali prorsus computatione, annus tamen ætatis sexagesimus septimus conficietur. Neg. refert, quod in sepulchro Arnesti, statua Juvenem præferre videatur. Id enim non ætas, sed eorum temporum consuetudo fecit, quibus Prælati Ecclesiæ omnes, juxta Conciliorum decreta, Romano more, barbâ radebant. Confirmat hæc omnia illud etiam, quod, nisi provectâ ætate, Arnestus ad summum Pontificatum postulatus non fuisset: ferè enim senes ad eam dignitatem eliguntur.

Venerabilis Arnesti sepultura  
Glacij; ejusdemq; sepulchri brevis  
descriptio, ac ad morem An-  
tiquitatis Inscriptio.

S s

CAPUT

## CAPUT XIII.

**M**ulta semper Principum Virorum circa sepulchra cura ab omni memoria fuit; laudabile id studium facit, tum memoria Mortis, tum adversus sacra Pietas, tum denique quæsitæ post mortem auxilia; aliquando gloriæ cupiditas morituros extimulat: non enim toti perire volumus, sed vel saxi brevitatem vitæ fulcire, & superesse nobis, optamus. Amorem quidam Principes secuti, corda morientes Templis, sacrisque locis donaverunt; quos multum confirmare potuisset Vir eruditus *Pammelius*, qui in resurrectione futura corporum, membra omnia ad cor adducenda putavit. Hoc postremum fortassis secutus *Arnestus*, cum in Diva Virgine ei essent omnia, eamque amaret effigiem, ex qua primum in familiaritatem suam *Virgo* descenderat, ante eam componi se ultimam voluntate iussit; quâ in re leviter *Virgilianum* illud mutavit:

*Illam meos primum, quæ me sibi junxit, Amores  
Abstulit, illam habeat secum, servetq; sepulchro.*

*M. S. Vita.* Longè ante obitum ab *Arnesto* sepulchrum illud conditum, statuatamque insuper, more eorum temporum, adjectam, Vaticinia *Arnesti* (quæ adferam postea) tum etiam Manuscripti Codices affirmant.

*Hagek. A. 1364* *Hagecius* hæc disertè: longè ante obitum loculum sibi, ac sepulchrum *Glacij* in Parochiali *S. MARIE* Ecclesia *Arnestus* elegerat, quo ipso in loco aspectabilem se puero præbuit *Divæ Virgo*. Unde Archiepiscopus factus postea, in eo Templo manè quotidie cani Sacrum ejus honori voluit, additâ Antiphonâ, quâ *Regina*, & *Mater misericordie* salutatur, quod utrumque in perpetuum liberaliter fundavit: sepultus est venerabilis & sanctus Pater *Glacij* ante altare majus, & anima illius, ut fide Christianâ credimus, cum

*Nota verba  
Hagecij.*

*cum DEO in ejus aeterna divinâq; gloria requiescit.* Videtur  
*Hagecius* antiquitatis sensum de *Arnesto* propius expressisse,  
 cum eum & sanctum, & cum Christo regnantem fide Christianâ cre-  
 di scribere non dubitat, cujus historia, utpote Sacerdotis Catho-  
 lici, & Canonici Ecclesiæ Pragenfis & Boleflaviensis ante annos  
 centum, ab Administratore Pragenfis Ecclesiæ, totòque Consistorio  
 Catholico examinata & probata, ac *Ferdinando I. Casari* dedicata  
 fuit. Porrò in hac *Arnesti* sepulchrali mole (quæ ab Ara Tem-  
 pli Glacensis Principe viginti pedes remota consistit) duo specta-  
 ri præcipuè posse videntur. Primum est: ipsum sepulchrum ab  
 humo eductum, quod ex russo marmore splendicante constat;  
 alterum est grandis *Arnesti* statua superjecta sepulchro, jaci-  
 tem referens Patriarchali habitu, amictum insuper Archiepisco-  
 pali pallio; quæ statua ex albo marmore solidissimo confecta, à  
 reliquo sepulchro separatur. Sepulchrum à terra uno cubito &  
 semis elevatur, latum est cubitos duos, longitudine ad quatuor  
 cubitos cum dimidio porrigitur. Effigiem sepulchri totius hoc  
 loco apponi jussi, magnâ artis curâ expressam, ut Lectores inspi-  
 cere & animadvertere miraculum possint, quod latius libro se-  
 quenti explicabo: spontè enim lapis, quasi frameâ scissus, rum-  
 pitur, totumque marmor non semel oleum sudavit. Probabile  
 mihi videtur, in cumulum, procedente tempore, sepulchrum hoc  
 ruiturum. Hiat jam immaniter, & discedere à medio fractum  
 marmor incipit, quæ rima cum se aperuerit magis, pleraque in  
 eandem ruinam secum impellet; foramen etiam ad latus sepul-  
 chri panditur, ad dextrum jacentis *Arnesti* pedem, ut manum  
 possis inferere. Mira in hoc sepulchro DEI opera latè affir-  
 mant *Glacenses*, & fortasse aliquando sacri corporis incorruptio appa-  
 rebit. Nihil magis optarem (nisi Canones Sacri verarent) quàm  
 ea, quæ nos latent, scrutari. In statua marmorea tota jam *Ar-  
 nesti* facies spontè dissiliit: oculi scilicet, os & nasus; quæ licet  
 suo loco sint, tamen à reliquo corpore marmoris abrupta, disces-  
 serunt. Jacet ad *Arnesti* pedes *Bohemie Leo* pari marmore ex-  
 cisus, cui jam caput avulsam temere jacet inter pedes. Familiae

Statua Ar-  
 nesti lapidea  
 in Templo  
 Glacensi,  
 ejusq; sepul-  
 chrum.

Insignia (*Equellus medius*) etiam ipsa senserunt aratam, *capitulum Equelli* marmoreum paulatim ex oculis amittitur, ut optimè illud Aufonianum hinc valeat: *Mors etiam saxi marmoribusque venit.* Infula Archiepiscopi media remansit, uti & *Arnesti* manus, ac pedum, quæ esse & non esse dicere possis, sensim fugiente marmore, figurâ, colore. Hæc, ut inveneram A. 1661. longissimâ diligentia annotavi, imago, quod stylo deest, explicabit. Quidam non sine mysterio frangi statuae certas partes putant, & conjecturam suam ingeniosis inventionibus tuentur; mihi in tanta luce, non licet esse tam disertus. Totum hoc sepulchrum ferreis cancellis altè munivit Antiquitas; at non ita pridem (quod Altaris non nihil impediabat aspectum) cancelli demissi sunt, ipsique sepulchro arctius inhaerent, ut illas sectiones marmoris, altiore, quàm humanâ manu peragi sit necessè. Tegitur sepulchrum panno rubeo, cui insuper, eum festi *Beatissima Virgini* dies coluntur, pretiosum quoddam & vetustum pallium, paludamenti instar, ad ornatum inijcitur. Pependisse ad sepulchrum illam, ab *Arnesto* descriptam Visionem, *Chronicon Glacense manuscriptum* significat; hodie nihil hujusmodi videas. Illud etiam memorabile; cum Episcopus, converso ad populum vultu, collocare soleant in Tumulis, *Arnestum* (an suâ voluntate prius indicatâ, an pietate sepelientium nescio) sic collocatum esse, ut *Altare summum* (in quo illa chara *Arnesto DEI Matris Statua* honoratur) etiamnum aspiciat, illucque vultu toto conversus, velut *Memnon Aurora filius*, vel in saxo lætari, & oblectari materno aspectu videatur.

Epitaphium & Inscriptio, ut in alijs veterum sepulchris, nulla; sed circum sepulchri fines lineæ cavæ ducuntur, quæ litteras, ex orichalco aliòve metallo, insertas, per lineam illam, *In Glaciæ.* ivisse curiosis ostendunt, idque ipsum fatetur *Glacensis Ministellus Alurinus*. Hæreticorum impiæ manus, qui Templum hoc ab Anno 1591. usque ad 1624. tenuerunt, invidere suum *Arnesto* decus & litteras, quæ sine dubio laudes *Optimi Prasulis* continebant, expunxerunt & corruperunt; nisi forsitan Antiquitate ipsâ dica-

dicamus excidisse. Nos ei hoc breve *Epitaphium*, non ostentatio-  
ne ingenij, sed imitatione simplicis antiquitatis, & antiquæ sim-  
plicitatis, scripsimus.

## INSCRIPTIO SE- PVLCHRI.

Mariæ devOtissimus VeneRabilis ArneStus  
PriMus ArchiepiscOpus PRagēsis EccleSiaē,  
SumMus CarOli QuaRti MiniSter,  
PriMas BOhemix, PRinceps, Cardinalis  
SuMmi POntificatūs Romæ CandidatuS;  
Omnibus in Titulis nomina *Mortis* habet.  
O. \* Anno Domini 1364. ultimâ Mensis Junij. \* *Mortuus est.*

DUm Honores,  
quò fugeret sequentes, non haberet

Fugit è Vita:

Honores in terram abjecit;

Corpus in claustrum intulit;

Ipse in cœlum abiit.

Ss 3

Quod

Quod fecit in terra,  
 hoc, ante *Thronum* MARIÆ,  
 facit in cœlo,  
 Coronas & Dignitates omnes deponens.  
 Pijssimis MANIBUS  
 posuit mœrens *Bohemia*.  
*Vale Pater Patria! Et pereunti bene precare!*

*Sub ejusdem ARNESTI marmorea Statua,  
 Utinam viveres!*

*Sub Leone marmoreo ad ARNESTI pedes.  
 Leo amicus hominis, & homo Medicus Leonis.*

*In Statuam & sepulchrum VEN. ARNESTI,  
 quod spontè rumpitur, unde oleum fuit.*

*Arnestus mitis, durus Lapis esse recusat;  
 Rumpitur, atq; oleum Civibus esse cupit.  
 Semper oliva fuit; nunc vita cortice rupto,  
 Ah! Patriæ sanet vulnera cruda sua!  
 Mira fides! Sacri currūt per saxa Liquores;  
 Qui bene olet moriens, quàm bene vivus  
 olet!*

*Sed vivit, fortiq; probat dulcedine vitam;  
 At Tumulus qui nō vixerat, hic moritur.*

*Nota*

## Notæ in Caput XIII.

**P** Rincipum cura circa sepulchra. Vide Gretserum *Nostrum* de Funere Christiano. Meritoque Ecclesia, jam inde ab initio, valde sollicita in sepeliendis SS. Martyrum, & aliorum Christianorum corporibus fuit. De tribus & quadraginta Cameterijs Romanis vide Baron. A. Christi 226. in *Annal. Ecclesiasticis*. De sepulchro Cæcilie Metellæ admirabili, & Echo, cui par in Orbe non est vide Georg. Draudium *Comment. in Sôlini C. 2.*

Sepulchrorum  
cura non de-  
ponenda.

Cor da Principes donaverunt. Ita Henricus Magnus Gallia Rex, Societati nostræ Cor legavit. Vide *Consolation. ad Reginam Matrem Lud. Richeomi*, Idem postea imitatus Ferdinandus II. *Aug. mem. (Lamormayn. de Virtutibus Ferdin. II.) de quo factò sic olim in Epigrammate lusi:*

De Corde  
Ferdinan. II.  
Cæsaris So-  
cietati IESV  
legato.

Cor nobis, Fernande, Tuū post funera donas;  
Donâsses vivus, sed sine corde fores.  
Ergo Cor hoc magnū posthac ut vivere possit,  
Nostrū, qui post Te vivimus, hoc cor erit.

Ante eam componi se ultimâ voluntate jussit. Inveni inter *Manuscripta Testamenti fragmentum, cui adscriptus Annus 1358. dies 18 Junij.* Hanc ultimam nostram exprimimus, & decernimus esse voluntatem, videlicet quòd sive in terris originis nostræ, sive alijs vicinis ejusdè, aut etiam remotioribus omnino

Fragmentū  
conditū ab  
Arnesto Te-  
stamenti.

omnino, vocatione divinâ, quâdocunque de  
 hac vita migrare nos contigerit, in Civitate seu  
 Oppido Glacensi Nostræ Pragensis Diœcesis,  
 apud Ecclesiam Virginis Gloriosæ Parochia-  
 lem Cruciferorum cum alba Cruce, Ordinis S.  
 Joannis Hierosolymitani, affectione, nec non  
 & devotione salutari inclinati sepeliri volumus  
 & eligimus. Hactenus fragmentum.

*De ejusdem Venerabilis Arnesti in hanc Ecclesiam amore lo-  
 quens Gallus Prior Equitum Rhodiorum (in litteris A. 1362. 8. Ja-  
 nuarijs in Archiep. Comendatura Glac. N.) ait Arnestum erga  
 hanc Ecclesiam Glacensem habuisse hactenus, & habere de-  
 votionis gratiam singularem.*



De